De Quintiliani institutionis oratoriae libro X, de Dionysii Halicarnassensis de imitatione libro II, de canone, qui dicitur, Alexandrino,

quaestiones.

—*—

Dissertatio inauguralis,

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Erlangensi

rite capessendos

proposuit

Guilelmus Heydenreich,
Onoldinensis.

Rigorosum sustinuit a. d. IV. cal. Jun. MCM.

Erlangae,
Typis Jacobianis.
MCM.

Quae ratio intercederet inter Dionysii Halicarnassensis de imitatione librum secundum et Quintiliani institutionis oratoriae librum decimum, quatenus in hoc scriptores Graeci percensentur, ut inquirerem, auctor fuit magister summe venerandus Hermannus Diels, qui mihi Useneri librum[1]) suppeditavit additis verbis de hac quaestione aliter esse iudicandum atque ille fecisset.

Brevi intellexi rem satis difficilem me tractare; nam ea tempora et res pervestiganda erant, quorum memoria paene interiit. Historia enim literarum Graecarum eorum temporum, quae aetatem Alexandrinam subsecuta sunt — et in his quidem versatur nostra disputatio — maxima ex parte periit neque nisi commemorationibus scriptorum insequentium temporum magna de parta tradita est, ita ut vel si quis non tardi ingenii est, eum tamen rivulos potius consectari opus sit, fontes rerum ut videat vix fieri possit. Ac Wilamowitzius quidem litus arare dixit (Herm. XI, 300), quicunque nostram provinciam aggrederetur.

Quo factum est, ut quamquam permulti de hac quaestione aut de eius similibus egerunt, tamen non omnia, quae explorari possunt, satis accurate investigata inveniamus: neque enim quisquam adhuc quaestionem de fontibus Quintiliani in universum ita movit, ut inde concludi possit, num verisimile sit Quintilianum a Dionysio pendere, num alias eo ita usus sit, ut inde de hac quoque re aliquid efficiatur.

---

1) Dionysii Halicarnassensis librorum de imitatione reliquiae, ed. H. Usener, Bonnae 1889.

Quo in genere desunt literarum auxilia; nam quae Casimirus a Morawski (Quaestiones Quintilianeae, Berolini 1874) et Paulus Teichert (De fontibus Quintiliani rhetoricis, Regimonti 1884) disseruerunt — alter singulorum quorundam librorum fontes indagat, alter de Aristotele solum et auctore ad Herennium disputat Cicerone adhuc omisso — non sufficiunt, neque ex eorum studiis, qui de doctrina (H. Babucke, de Quintiliani doctrina et studiis, Regimonti 1866) et elocutione (R. Törnebladh, De elocutione Quintiliani, Upsalae 1858) egerunt, multum utilitatis me percipere posse intellexi; ipsi autem quominus iusta fundamenta iacere conarer, obstabat, quod ne multorum annorum haec opera futura esset timebam; quo consilio in posterum dilato satis habui huius quaestionis a tam multis retractatae enucleatis fundamentis addere, si quid novi me explorasse censerem. Nimirum saepius quaestiones ab aliis oblatae in iudicium venient quam novae res tractabuntur; sed quamquam non multum novae materiae congessisse videbor, tamen non omnia trita visum iri audeo contendere.

Sed cum omnes inde ab Henrico Stephano Quintilianum Dionysii vestigia pressisse duxissent et Usener solus additis causis fieri posse negavisset, ut Fabius ab Halicarnassensi penderet, multo magis mihi propositum erat Useneri sententiam labefactare quam, quod iam pridem demonstratum erat, repetere. Initium autem disserendi capiendum videbatur a canone qui dicitur Alexandrino, quem Usener communem Dionysi Quintilianique fontem esse autumat: quam quaestionem quamquam in brevissimum contrahere in animo erat, tamen pauca recepta sunt, quae succidi poterant; addita autem sunt, ut rotundior et plenior orbis pertractationis evaderet neve dimidiata proponere viderer. Ceterum, ne ipsam quaestionis disceptationem turbaret, dissertatiunculam, quae est de canone decem oratorum Atticorum, extremo libello suffigendam

curavi. Quaestione de canone finita causae perlustrandae erant, quibus de causis Usener omnes inde ab Henrico Stephano erravisse arbitratur; tertio loco, quae post Claussenum [1]) et Morawskium [2]) ex comparatione scriptorum ipsa perspici posse mihi persuasi, composui.

---

1) Joh. Claussen, Quaestiones Quintilianeae II, Annales Fleckeiseni suppl. VI, 339 sq. sq. 1873.

2) Cas. Morawski, Quaestiones Quintilianeae, Berolini 1874, p. 21 sq. sq.

I.

De canone, qui dicitur, Alexandrino.

Anno 1767 Ruhnkenius in historia critica oratorum Graecorum[1]) p. 95 sq. sq. ab Aristophane Byzantio et Aristarcho canonem optimorum in quoque genere scriptorum compositum esse contendit multumque controversiae subsecutum est.

Quid autem eius modi canon sit, ut bene cognoscamus, respiciendum est, quomodo critica et grammatica ars ortae sint. Qua de re Usener[2]) haec dicit: „Proficiscitur enim (i. e. iudicium) a singulis locis iudicandis, pergit ad totius poëmatis vel scripti virtutes ac vitia aestimanda, libris omnibus pertractatis de ipsius poëtae scriptorisque dignitate summam colligit eoque pervenit, ut qui cuiusque generis auctores sint optimi et quibus excellant virtutibus, quibus minus commendentur, accurate definiat. Eadem opera fit, ut quae aliena a poëtae scriptorisve ingenio et moribus intellecta sint, sive versus locique sive poemata et libri, ab illo abiudicentur. Singulis autem virtutibus ac vitiis observatis et in unum coniunctis prodit quaedam ingenii et artis imago (χαρακτήρ); quae nisi certis lineamentis adumbrata sit, neque scriptor alius cum alio com-

---

1) Confer Frotscheri editionem Rutili Lupi, Lipsiae 1831 (1841) et oratorum Graecorum a Reiskio editorum tom. VIII.

2) Dionysi Halicarnassensis de imitatione reliquiae, ed. H. Usener, Bonnae 1889, p. 132 seqq.

parari nec abiudicari quicquam nisi argumentis extrinsecus petitis potest"[1]).

Quibus studiis eo facile perveniri, ut catalogi quidam cum iudiciis de optimis scriptoribus compositis exarentur, nemo sane negabit; quos catalogos non bibliothecae cuiusdam thesaurorum indices fuisse perspicuum est; qui cum „canones" fuerint, iam videmus, quid hoc verbum significet.

De voce canonis ipsa egit Steffen[2]) et hanc definitionem dedit: „. . . Apud scriptores veteres *κανών* semper est norma vel regula, neque unquam ea vox, si libri titulus fertur, ita usurpata est, ut vis inesset catalogi [bibliothecae cuiusdam scilicet thesaurorum]; illo igitur vocabulo . . . quotienscunque infra utemur, nihil nisi normam intellegi volumus."

Quo tempore et a quo primum poetarum pedestriumque scriptorum canon compositus sit, multi hinc illinc disputant. Callimachum Cyrenaeum cum Suidas[3]) traderet *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων* composuisse, multi nimirum hunc canonis auctorem esse putabant, cum *πίνακας* et *κανόνα* idem valere sibi persuasissent. In eo numero primus erat F. A. Wolf; errorem perspexit primus F. Ranke[4]).

Res autem ita se habet: Testimonium exstat quater traditum (Cramer, Anecdota Parisina I, 6 seq. *περὶ κωμῳδίας*; Keil in Ritschelii opusculis I, 199 seqq. (Tzetzes)

---

1) Eadem fere Susemihl (Geschichte der griechischen Literatur in der Alexandrinerzeit, tom. II. p. 663 seqq.) longiore disputatione exposuit.

2) De canone, qui dicitur, Alexandrino, Lipsiae 1876, p. 12 n. 7.

3) s. v. *Καλλίμαχος*: . . . *πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν ξυνέγραψαν ἐν βιβλίοις Κ' καὶ ρ.*

4) In commentatione de Aristophanis vita editioni Pluti Aristophanei Thierschianae (Lips. 1830) praefixa p. 104 seqq.

et ibidem 206 seqq. (Tzetzes); Ritschl, opuscula I, 5 seqq. scholion Plautinum), cuius summa a Schneidero[1]) suppleta haec est:

Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς μεγαλοδωρίοις βασιλικοῖς προτραπέντες Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ τὰς σκηνικὰς διωρθώσαντο βίβλους . . . . συμπαρόντος αὐτοῖς . . . Ἐρατοσθένους, et

Ὁ γὰρ βασιλεὺς Πτολεμαῖος . . . δυσὶ βιβλιοθήκαις ταύτας [scil. *τὰς βίβλους*] *ἀπέθετο ὧν . . . τῆς δ' ἔσω τῶν ἀνακτόρων καὶ βασιλείου βίβλων μὲν συμμίκτων ἀριθμὸς τεσσαράκοντα μυριάδες, ἁπλῶν δὲ καὶ ἀμιγῶν βιβλίων μυριάδες ἐννέα, ὡς ὁ Καλλίμαχός* [*τέ φησι, ὃς* suppl. Schneider] *νεανίσκος ὢν* [*ἔτι τότε καὶ οὔπω τῆς βιβλιοθήκης ὢν* Schneider) *τῆς αὐλῆς, ὑστέρως μετὰ τὴν ἀνόρθωσιν τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψατο.*

Quibus verbis bibliothecae catalogum a Callimacho confectum esse apparet; tamen Schneider (l. c.) hoc Callimachi opus librum quendam ex bibliothecae catalogo exscriptum esse contendit. Optimo iure, ut alia omittam, Steffen (l. c. p. 4) obvertit Tzetzae, ex quo haec verba hausta sunt, si *πίνακες* ex catalogo exscripti essent, nihil causae futurum fuisse, cur hoc loco, quo de ratione dicit, quam secutus Philadelphus rex bibliothecas instituit, — et cum idem bis exhiberet, bis — Callimachi mentionem faceret. Nihil autem nisi bibliothecae regiae catalogum ratione et via digestum composuisse Callimachum ex eo efficitur, quod cum aliarum eius operis partium mentio fiat (Athen. XV, 669e: *Καλλίμαχος ἐν τῇ τῶν ῥητορικῶν ἀναγραφῇ*, XIII, 585b: *Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων* etc.) tum libri, qui *πίναξ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων* (Athen. VI, 244a: *Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν πίνακι γράφων οὕτως* ect; XIV, 643e: *Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων*

---

1) O. Schneider, Callimachea, Lips. 1870 sq. I, p. 299.

πίνακι ect) inscribitur; „Variorum“ autem normam quandam, i. e. *κανόνα* ad imitandum propositum et ad praestantiae laudem digestam non posse componi haud facile quisquam negabit. Quae cum ita sint, Callimachi, „*Πίνακες*“ nihil nisi bibliothecae catalogum fuisse apparet; neque enim aliter Tzetzae, quae excitavimus, verba intellegi possunt: aut delectum et canona dedit Callimachus, quod re vera factum non esse demonstravimus, aut catalogum composuit neque quidquam obstat, quominus hanc sententiam amplectamur. Sequitur Callimacho cum canone grammaticorum Alexandrinorum nullam rem esse.

Aliter sentiunt Hartmann[1]) et Did. Volkmann[2]). Atque Hartmann (p. 4) ex eo, quod Dionysius Halicarnassensis docet (in iudicio de Dinarcho lato, cap. 1) ad orationes recte diudicandas opus esse et accurata de aetate auctoris quaestione et indolis descriptione[3]) necesse utique esse cogit, si quis non temere de scriptore aliquo iudicium ferre vellet, eum eadem procedere via. Sed qui omnium optime de Callimachi „pinacibus“ egit, Curtius Wachsmuth[4]), demonstravit Callimachum in tanta librorum multitudine non potuisse explorare, quid genuinum, quid spurium esset, sed satis habuisse addere, si quid ab aliquo in suspicionem vocatum erat. De institutione unius vel alterius libri hic illic videtur verba addidisse Callimachus, de indole ullius scriptoris idem eum fecisse nullo modo potest demonstrari. Accedit, quod eius generis res non sunt catalogum compilantis.

Audaci quadam syllogismorum serie Volkmann (l. c.) perductus est, ut *πίνακας* canonem esse contenderet.

---

1) P. Hartmann, De canone decem oratorum, Gottingae 1889.

2) Did. Volkmann De Suidae biographicis (I). Bonnae 1861, p. 24 sq.

3) Dionys. Halic. de Din. cap. 1: *Ἡγησάμην δεῖν . . . καὶ περὶ τοῦ βίου καὶ τοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ διελθεῖν, καὶ* ect.

4) Philol. XVI, p. 653 sq. sq.

Quae cum omnia mera coniectura nitantur, facile corruunt. Fundamenta huius sententiae sunt haec:

1) Proclus (ad. Platon. Timaeum I p. 28) tradit Heraclide Pontico teste Platonem pluris aestimavisse Antimachum quam Choerilum; Callimachum (et Durim) contendere Platonem aptum non esse, qui de poetis iudicaret.

2) Quintilianus (Inst. orat. X, 1, 53) Antimacho secundas fere grammaticorum consensu delatas esse dicit et (ibidem X, 1, 54) Aristophanem et Aristarchum poetarum iudicium edidisse [hoc altero loco verba „poetarum iudicium“ ipsa spuria sunt].

3) Aristophanes Byzantius librum *πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας* (Athen. IX, 408 f.) scripsit.

Quibus testimoniis nisus Volkmann concludit Aristophanem, quem *φιλοπλάτωνα* fuisse addit, in eo libro, quem modo diximus, Callimacho repugnasse; ergo Callimachum iudicia in „pinacibus“ proposuisse: quae cum ita essent, a Callimacho primum poetarum iudicium institutum esse. Sed

a) nusquam traditur Aristophanem illo ipso libro de hac quaestione egisse, cuius libri titulus quomodo sit intellegendus, non plane perspectum est[1];

b) non necessarium videtur exemplis confirmare illis temporibus, quibus literarum studium Alexandriae eximie florebat, tales controversias non raras fuisse[2]. Eo modo viam canonis constituendi munitam esse mihi persuasum est, sed non uno omnia impetu perficiuntur. Ceterum ex hoc uno loco, quo Callimachum suum ipsius iudicium (quoquo libro) pronuntiasse traditur, si quis efficere vult eum

1) Cfr: Nauck, Fragmenta Aristophanis Byzantii, Halis 1848, p. 245.

2) Velut Suidas de Panyasi tradit (s. v.): *Ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον.*

ordinem scriptorum composuisse, quid huic obstat, quominus hoc opus iam ab ipso Platone, quem de uno quodam scriptore iudicium tulisse vidimus, susceptum credat?

Quaecumque de canone a grammaticis Alexandrinis composito nominibus auctorum additis accepimus, haurienda sunt ex his Quintiliani locis:

1) Quint. inst. orat. X, 1, 54: „Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristophanes atque Aristarchus (poetarum iudices)[1]) neminem sui temporis in numerum redegerunt“[2]). Sermonis connexus comprobat eos, qui antea tractati erant, poetas, Homerum, Hesiodum, Antimachum, Panyasim receptos fuisse. Neminem autem, qui aetate Alexandrina fuerit, in numerum esse redactum his verbis dilucidissime perspicimus, ita ut omnia auctorum nomina hanc legem migrantia ex Aristarchi et Aristophanis indice profecta esse non possint.

2) Quint. inst. orat. X, 1, 59: „Itaque ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad ἕξιν maxime unus pertinebit Archilochus.“ Paucis versibus post cum legamus: „Novem vero lyricorum longe Pindarus princeps“ non videbimur audaciores esse, si et hoc ordine (Aristophanem et) Aristarchum tangi putamus. Eodem referri posse videntur, quae Quintilianus dicit (X, 1, 53): „Contra in Antimacho vis . . . sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat“ . . . et (X, 1, 54): „Panyasin . . . putant.“ Quae cum omnia inter se cohaerere nobis persuasum sit, non dubitamus eodem referre hunc

3) Quintiliani locum (I, 4, 3): „Mixtum (ex his omnibus) iudicium est, quo quidem ita severe usi sunt veteres

1) Haec verba Steffen, l. c. p. 16 Osannum secutus delenda esse demonstravit.

2) Quae verba quomodo interpretanda sint, Hampe (Ueber den sogenannten Kanon der Alexandriner, Jauer 1877 p. 4) contra Steffenum (l. c. p. 17) ostendit.

grammatici, ut auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exegerint numero."

Praeter haec Quintiliani testimonia complures scriptorum indices exstant. Quo in numero est 1) Procli[1]) poëtarum enumeratio, qui singulis artis poëticae generibus pertractatis quinam in hoc genere floruerint, docet; referuntur

α) in genere epico: Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος.

β) in genere elegiaco: λέγει (scil. Πρόκλος) Καλλῖνόν τε τὸν Ἐφέσιον καὶ Μίμνερμον τὸν Κολοφώνιον· ἀλλὰ καὶ τὸν Τηλέφου Φιλητᾶν τὸν Κῷον καὶ Καλλίμαχον τὸν Βάττου.

γ) in iambis: Ἀρχίλοχος, Σιμονίδης, Ἱππῶναξ.

Cetera lyricae quam vocant poesis genera a Proclo accurate distribuuntur, nomina celeberrimorum auctorum non adduntur. Nomina omnium poetarum, quos rettulimus, supra aetatem Alexandrinam redeunt, ita ut non repugnent illi legi a Quintiliano traditae; in poetis elegiaci carminis enumerandis verba illa „ἀλλὰ καὶ" ex fontis diversitate profecta esse in propatulo est. Quae cum ita sint, Proclum a grammaticis Alexandrinis pendere satis probabile videtur: hoc uno loco se eos non sequi sibi conscius est.

Incertae originis et auctoritatis sunt:

2) laterculus Coislinianus sive Montefalconius, quem Usener[2]) eis, quae temporum rationem excedunt, succisis merum grammaticorum Alexandrinorum canonem esse putavit. Sed et nusquam haec origo traditur et ipsius arbitrio demere, quae non apta videntur, audacius est quam ut probari possit.

---

1) Confer.: Westphal, Scriptores metrici Graeci I, 1856 p. 230, 242, 243.

2) Dion. Hal. libr. de imit. rell. Bonnae 1889 p. 130.

3) Laterculus Crameri Bodleianus, qui etiam in codice quodam Vaticano exstat.

4) Laterculus Monacensis, quem parum accurate primus O. Kröhnert[1]) publici iuris fecit.

De his tabulis omnibus (2, 3, 4) ita iudicandum est, ut paululum veri canonis latere possit, sed ita additamentis obrutum, ut me eas quam minimi facere concedam, praesertim cum earum quasi historia plane in obscuro sit.

Uno verbo Tzetzae mentio fiat, qui in variis scriptis eiusmodi indices secutus est aut ipse consuit, quos Kröhnert (l. c.) in singulis poetarum generibus tractandis enumeravit. Unde nihil posse disci facile perspicitur.

Quae cum ita sint, videmus ab Aristophane Byzantio et Aristarcho poetarum epicorum et iambicorum canonem propositum esse; novem lyricorum ordinem eodem pertinere ex Quintiliano iure ac merito concludi posse; poetas elegiacos tum temporis etiam in ordinem esse redactos ex Procli, si valet, testimonio effici. De poetis tragicis et comoediarum poetis ab illis grammaticis iudicia edita esse nullo testimonio demonstrari potest; de operibus vero prosa oratione conscriptis nihil usquam traditur. Pervulgatissimum enim illum decem oratorum canonem postea ortum esse in epimetro demonstrabimus. Decem rerum scriptorum, qui exstat, Alexandreae ortum esse canonem nemo iam contendet neque ante oratorum decadem compositum esse per se verisimile est. Atque adeo demonstrare possumus certum rerum scriptorum ordinem ante secundum vel tertium p. Chr. n. saeculum non fuisse[2]). — Philosophorum certus ordo per longum temporis spatium non fuit; principibus Platoni et Aristoteli tertius saepe

---

1) O. Kröhnert: Canonesne poetarum scriptorum artificum per antiquitatem fuerunt? Regimonti 1897, p. 15.

2) Confer, quae Hermogenes (Spengel, Rhetores Graeci II, 424) et Philostratus (Vitae sophist. I, 17, 4) excitant.

additur, sive Democritus (Dionys. de comp. verb. c. 24) sive Theophrastus (Cic. Brut. 31) sive Socrates (Vell. Pat. 1, 16) sive Archytas (Anthol. Pal. app. III, 238): apparet philosophorum canonem non fuisse.

Sequitur falsam esse Ruhnkeni opinionem omnium poetarum pedestriumque scriptorum canones ab Aristophane Byzantio et Aristarcho propositos esse arbitrantis. Attamen idem fere ac Ruhnkenius censet Usener (l. c. p. 136 sq. sq.) novis argumentis allatis hanc sententiam suffulcire se posse ratus. Sunt autem haec:

a) Omni tempore, quotiens poetam praelecturi erant grammatici, discipulis tradere soliti sunt (scil. canonem);

b) Byzantini memoriam rei continuaverunt.

c) Pindari exempla lyricorum selectorum tabulam et pedestri sermone et versibus conceptam conservaverunt.

d) cuius (scil. canonis) etiam si multo obscurior esset memoria, instaurari ex imitatione poterat cum Romanorum tum eorum scriptorum, qui artificum recensum egerunt; ex illis sufficit Volcacii Sedigiti de fabularum palliatarum poetis versus memorasse; hi quas rationes secuti sint, ex Plini nat. hist. l. 34 et proximo intellegitur;

e) neque leve puto argumentum esse, quod praecipuorum in quoquo genere poetarum et scriptorum imagines in bybliothecis dicabantur.

Quibus argumentis nihil demonstratur nisi canones quosdam ab illis grammaticis compositos fuisse, id quod non negamus, omnium mehercle generum credere non possumus; nam licet Volcacii canon aliique eius generis veterum exemplorum imitationes sint, unius generis canon, qui exemplo esset, suppetebat. Neque quisquam neget ante canones omnium generum constitutos auctores quosdam posse praecipue inclaruisse, qui illo honore, ut imagines in bybliothecis dicarentur, digni viderentur.

Useneri autem opusculum saepius legenti non contigit, ut ipse perspicerem, quid vir ille doctissimus de ora-

torum ordine sentiret ex hac argumentorum serie non posse effici: id quid demonstravit in litera ad M. Fränkelium data, qua dicit [1]: „Ich habe den Rednerkanon absichtlich nicht berührt, weil ich keine Neigung hatte, so beiläufig mich mit der von vielen geteilten Ansicht Brzoskas auseinanderzusetzen.“

Tale quidquam quale canonem unquam fuisse praefacte negat C. Dilthey [2], cum dicat, quos Quintilianus notasset electorum poetarum ordines, diversos a diversis grammaticis et ludi magistris, quin ab uno excogitatos esse, — velut eundem Aristophanem Anth. Pal. append. 286 Homero subiungere Menandrum, Tzetzam (de Lycophr. I, 263) percensere excellentes variis generibus, Ovidium (am. I, 15, 9) nomina Graecorum Homeri, Hesiodi, Callimachi, Sophoclis, Arati, Menandri componere, apud Romanos a Volcacio Sedigito (Gell. XV, 23) et Suetonio (Reiffersch. p. 33) eodem modo diversos auctores una nominatos esse. Sed quos excitat delectus vel nihil valent ad grammaticos Alexandrinos vel diversorum generum poëtas simul continent: Quintiliano autem cum dicat: „ex tribus receptis Aristarchi iudicio iamborum poëtis“ et „novem vero lyricorum“ diversorum generum diversos delectus ob oculos versari apparet; Suetoni et Volcaci indices sunt imitationes, quibus nihil doceri antea demonstravimus.

Sed cum viderimus, quomodo de canonis quaestione iudicandum sit, quo consilio potissimum illi duumviri instituerint iudicii tabulas, optimo iure inquiritur. Ac primum quidem ad oratoriae facultatis normam canones non esse compositos perspicitur ex eo, quod Brzoska [3] demon-

---

1) Jahrbuch d. deutschen arch. Instit. VI (1891) p. 93.

2) De Callimachi Cydippa 1863 p. 4 n 3.

3) Brzoska, De canone decem oratorum Atticorum quaestiones, Vratislaviae 1883 p. 60.

stravit: artem rhetoricam illis temporibus Alexandreae non floruisse. Ceterum in epimetro grammaticorum Alexandrinorum studia in oratores et artem dicendi collata tractabimus[1]).

Aesthetici deinde, ut nos dicimus, iudicii normas artisque praecepta illos in eligendis, quos reciperent, auctores esse secutos Ruhnkenius (l. c.) autumasse videtur; idem fere Matter[2]) et Parthey[3]). His adversatur Bernhardy[4]), cum dicat: „Freunde der schönen Diktion, denen man zur Nachahmung eine Reihe normaler Schriften hätte bezeichnen sollen, gab es während des alexandrinischen Zeitraums nicht. (Recte ille quidem; sed cum de poetis solum agatur, res aliter se habet; an nescimus omnes, qui tum erant, viros doctos artis poeticae laude florere cupivisse?). Wenn die Alexandriner, die weder Rhetoren noch Stilisten, sondern Grammatiker waren, die klassischen Autoren in einer Auswahl bestimmten, so haben sie nur für Zwecke der Schulgelehrsamkeit einen Kreis festgestellt, in dem ihre Studien sich bewegten, nicht einen normalen Kanon als Blütenlese der Literatur." Quae cum ita sint, illos grammaticos Bernhardy id secutos esse putavit, ut fixum determinatumque esset, quod in scholis magistri cum pueris tractarent. Idem fere censet Bergk[5]) et Steffen[6]) documentis suffulcire et stabilire conatus est. Nititur autem inprimis verbis Quintiliani I, 4, 3: „Mixtum ex his omnibus iudicium est; quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditicios summovere familia permiserint sibi;

1) p. 45 sq.
2) Essay historique sur l'école d'Alexandrie 1820 II p. 52.
3) Das alexandrinische Museum, Berlin 1838 p. 122.
4) Grundriss der griech. Litteraturgeschichte I[1] 184.
5) Griech. Literaturgeschichte 1872 I p. 279.
6) De canone, qui dicitur, Alexandrino, Lipsiae 1876 p. 15—26.

sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.“ Quae verba minime pertinere ad puerorum institutionem mihi persuasum est, sed explicare, quomodo veteres grammatici arte usi sint: id quod nulla re magis quam incorrupto verborum contextum legentis iudicio comprobatur.

Defuisse, quibus canon ad pulchri normam institutus proponeretur etiam Wilamowitzius[1]), censet, cum dicat: „Die antike Philologie, ... war viel zu wissenschaftlich, um die Principien aesthetischer Feinschmeckerei zu befolgen.“ Deinde pergit: „Sie sammelte die lyrischen Gedichte, die sich aus der klassischen Zeit erhalten hatten, ... dabei fand man nur von neun Dichtern noch mehr als vereinzelte Stückchen; dass niemand im stande ist, einen zehnten zu nennen, ist Beweis genug.“ Hoc refellit Blass[2]), cum dicat: „Sed cur Melanippides, Philoxenus, Timotheus, alii dithyramborum et nomorum auctores non sunt recepti, quorum opera multa usque ad Alexandrinum aevum durasse certissimum est? Nempe ii criticorum iudicio non sunt probati, sicut est probatus Bacchylides“.

Klippel[3]) canones esse propositos censet, ut optima et imitatione dignissima quaeque eligerentur. Idem maximo opere tenendum esse iudicavit Ranke[4]), cum diceret: „Volebant (Aristophanes et Aristarchus) sine dubio optimorum scriptorum et lectionem et imitationem adiuvare ....; milia exemplorum abunde docent nihil eos spectasse nisi ut optimos praestantissimosque scriptores nominarent, qui imitandi dignique essent, quibus iuventus erudiretur.“ Quod si ipsius praestantiae in quoquo

---

1) Bacchylides, Berlin 1898 p. 9.

2) Bacchylidis carmina ed. Blass 1898 p. XVII.

3) Ueber das alexandr. Museum, Götting. 1838 p. 317.

4) De Aristophanis vita in Aristoph. Pluti edit. Thierschiana p. 108 sq.

genere causa poetae exempti sunt, imitatione et lectione dignissimi eligi poterant.

Cum novorum fontium auctoritatem non possimus in usum vocare, his omnibus reputatis id effici videtur, ut ad imitationis finem canonem potissimum eis propositum esse censeamus, qui tum — sunt autem omnes homines eruditi literarumque studiis exculti — maiore vel minore successu arte poetica excellere studebant; poetae imitatione et lectione dignissimi electi sunt neque possumus concedere Naekio[1]) id spectasse canonis auctores, „ut reciperentur, qui aliquod scribendi genus diu neglectum rursus aggredi et redintegrare bono consilio successu quocumque et insigni tamen exemplo studuissent." Accedit quod plerique poetae Graeci posteriorum aetatum archetypi cuiusdam, ut ita dicam, exemplum secuti sunt clarique cuiusdam poetae maioris natu vestigia presserunt: pauci quidam novum inauditumque genus primi coluerunt et ex eo prae ceteris inclaruerunt. Quid mirum, si, qui ceteris recentiorum aetatum poetis exemplo fuerant ante canonem constitutum, tum vero grammaticis Alexandrinis summa laude digni videbantur? Multi sane iam antea clarissimi poetae — et in eo numero ii quoque summa auctoritate florentes sunt, qui novum artis genus non expresserant — tum illorum duumvirorum studiis in ordinem redacti sunt, neque dubitaverim concedere optima quaeque opera grammaticis digna visa esse, quae pueris in schola sedentibus offerrentur; sed neque omnia, licet praestantissima, apta sunt, quae pueris dentur neque id ab initio appetiisse canonis auctores mihi persuasum est.

Restat, ut quaeramus, quinam poetae recepti fuerint.

Atque epicos quidem poetas receptos fuisse Homerum, Hesiodum, Antimachum, Panyasin summa cum probabilitate ex Quintiliano (X, 1, 46—54) concludimus; cur quintum

1) De Choerilo Samio, 1817 p. 61.

Pisandrum eidem numero ascriptum fuisse censeam, infra demonstrabitur. Jambographos tres in numerum redactos esse scimus, quos Archilochum, Semonidem, Hipponactem fuisse Kröhnert[1]) demonstravit.

Novem lyricorum numerus saepissime laude tollitur et decima additur Corinna. Neque credendum est Petronium Pindarum novemque lyricos excitantem (§ 2) hoc aliter intellexisse ac si Graece dixisset *οἱ περὶ Πίνδαρον ἐννέα λυρικοί*[2]). Nomina poetarum autem sunt haec: Alcaeus, Alcman, Anacreon, Bacchylides, Ibycus, Pindarus, Sappho, Simonides, Stesichorus.

Elegiaci carminis poetae praeter Callinum et Mimnermum qui fuerint recepti nescimus.

Quibus de canone a grammaticis Alexandrinis constituto expositis pauca additurus sum de ceteris poetarum generibus. Aeschylum, Sophoclem, Euripidem poesis tragicae longe praeclarissimos fuisse quis est quin sciat? Neque quemquam dubitaturum esse crediderim, quin princeps locus eis non iam a grammaticis Alexandrinis assignari debuerit. Quibus tribus quando a quo minores natu Jon et Achaeus additi sint nescimus. Eodemmodo certissimum est Aristophanem, Eupolim, Cratinum priscae comoediae inventores perfectoresque fuisse, ita ut ne hoc quidem iudicium canone sanciri opus fuerit. Ceterum *κωμῳδοποιῶν* indices, quos ut omnium generum auctorum Kröhnert (l. c. p. 27 adn. 1) congessit, in tres classes distribuendi sunt:

a) Septem poetarum nomina ad temporum ordinem composita nulla generum comoediae varietate addita exhibent laterculus Montefalconius et Coislianus; eadem fere anonymus *περὶ κωμῳδίας*[3]).

---

1) l. c. p. 21 sqq.

2) Ergo, quae Steffen l. c. p. 37 disputat, perversa videntur.

3) Dübner, scholia in Aristophanem Graeca III, p. XIV.

b) Tres deinde comoediae genera distinguuntur, priscum, medium, recens[1]).

1) Veteris disciplinae (poetae scil.) iocularia quaedam minus scite et venuste pronuntiabant (Susarion, Mullus, Magnes),

2) mediae . . . et principum vitia sectati acerbissimas comoedias composuerunt (Aristophanes, Eupolis, Cratinus),

3) Menander, Diphilus, Philemon, qui omnem acerbitatem comoediae mitigaverunt.

Similia habet Tzetzes (*περὶ διαφορᾶς* 336 Cramer) et illi quattuor indices, quos p. 28 sqq. excitavimus:

1) antiqua comoedia quae *ὀνομαστὶ ἐκωμῴδησεν,*

2) media, quae *αἰνιγματωδῶς ἐκωμῴδησεν,*

3) recens quae, *ξένους καὶ πτωχοὺς* perstrinxit.

Hanc poetarum dispositionem, quamvis testimonia inter se non congruant, tamen ubique ad rerum ab huius generis poetis tractatarum diversitatem institutum esse facile perspicitur.

c) Duo solum genera comoediae distinguuntur apud Dionysium Halicarnassensem[2]) et Quintilianum (X, 1, 66) et in Aristophanis vita (Westermann, Biogr. p. 155) et apud Plutarchum[3]). De hac divisione Kaibel[4]) haec dicit: „Ganz andere Gesichtspunkte [als wo von einer Dreiteilung der Komödie gesprochen wird] treten uns überall da entgegen, wo von einer zweiteiligen Komödie die Rede ist . . . Dieselbe literargeschichtliche Anschauung [wie bei Dionys und Quintilian] findet sich schon bei Vell. Paterc. I, 16, 3 . . . Die sprachliche Untersuchungsmethode geht nicht von den Alexandrinern aus, die wohl Abweichungen

1) Diomedes (Grammatici Latini, ed Keil) I, 488.

2) cfr. Usener, l. c. p. 21.

3) Quaestiones symposiacae VII, 8, 712 ab - Berndakis IV, 289 sq.

4) Hermes 24, 59.

der Syntax, der Formenlehre, der Accentuation beachteten, für die die ἐκλογὴ ὀνομάτων aber ohne Wert und darum nicht von Interesse war, sondern von den Pergamenern, deren Kritik τὸ στρεφόμενον περὶ τὴν λέξιν, τὸ περὶ τὰς διαλέκτους καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων umfasste. Pergamener haben nach stilistisch-rhetorischen Gesichtspunkten die Entwickelungsgeschichte der attischen Komödie in zwei Perioden geteilt, indem sie in der ersteren von beiden zugleich den Zeitpunkt markierten, an welchem die neue stilistische Lehre aufkam und ihre erste Wirkung übte.“ Itaque in hoc genere apparet nos relabi ad Pergamenorum studia.

Quibus omnibus perlustratis dilucidissime apparet communem fontem omnium iudiciorum, quae tractavimus, non fuisse; varii ordines, varii canones hic illic variis temporibus orti sunt. Sed quaeri potest, nonne quae variis locis temporibusque orta erant, in unum volumen conflata et ita memoriae tradita esse possint. Quod quidem ex parte quadam potest probari. Nam in grammaticorum florilegia multa hinc illinc repetita confluxerunt, unde posterioris aetatis viri plus minusve docti suam sapientiam hauserunt. Omnium iudiciorum fundamentum, ut ita dicam, sine quo non poterant ferri — neque enim libris apte in bibliothecae catalogum congestis uti potuissent qui subsequebantur — Callimachi πίνακες erant i. e. bibliothecae Alexandrinae catalogus, quem tamen ipsum nulla iudicia et canones promulgasse vidimus; post hunc Aristophanes Byzantius et Aristarchus canonem consuere poterant. Ciceronis aetate erant indices, id quod potest demonstrari fragmento XI. Hortensii Tulliani[1]): „Quare velim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam, qui forte mihi desunt.“ Similia tradit Quintilianus, cum dicat (X, 1, 57): „Nec sane quisquam est tam a

1) l. c. p. 120 (Usener).

cognitione rerum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca sumptum transferre in libros suos possit.“ Qui indices non omnia literarum genera complexa esse videntur, sed unusquisque index uniuscuiusque generis scriptorum principes. Qua de re si quis dubitaverit, id certe in propatulo est Ciceronis atque adeo Dionysi Halicarnassensis aetate eiusmodi librum, quo, qui omnibus literarum generibus floruerint, inveniri potuerint, non fuisse; neque enim tum oratorum Atticorum ordo fuit. Breves autem indices, qui praeter nomina nihil exhibent, temporibus multo posterioribus conflati esse videntur, cum iudicia interiissent multique indices in umbris bibliothecarum compilarentur, quibus qui traditi erant, consuti et compilati sunt. Quod ante alterum p. Chr. n. saeculum factum non esse nemo negabit.

II.

Usenerum minus recte iudicasse, cum dicat omnino fieri nequire, ut Quintilianus a Dionysio pendeat.

Usener libro, quem iam saepius memoravimus[1]), epilogum addidit (p. p. 110–142), quo Quintilianum in scriptoribus Graecis enumerandis (inst. orat. X, 1, 46–84) a Dionysio Halicarnassensi, qui in secundo de imitatione libro — cuius quidem epitome solum subest, cum ipse perierit (Usener l. c. p. 17—30) — de eadem re egit, pendere praefracte negat; Ciceronis enim in Hortensio pariter ac Dionysii Quintilianique communem fontem esse canonem Alexandrinorum. Quod cum fieri non posse ex eis perspici possit, quae de canone Alexandrino disputavimus, restat, ut causas perlustremus, quibus de causis Usenerus omnino fieri nequire contendat, ut Quintilianus a Dionysio pendeat.

In universum Usener acerrime impugnat Claussено, qui in Fleckeiseni annalibus[2]) singula Quintiliani verba cum singulis Dionysi comparans quam minus horum rhetorum sit consensus demonstravit. Qua de re Usener haec habet (l. c. p. 114 adn.): „Paucissima sunt Dionysii,

1) Dionysi Halicarn. libror. de imitat. reliquiae, ed. H. Usener, Bonnae 1889.

2) Fleckeisen Suppl. VI p. 339 sq. sq. „Quaestiones Quintilianeae II.

quae Quintilianus novisse se indicet. Composuit ea Joh. Claussenus admixtis non recte eis quoque, quae communia non solum Dionysio Quintilianoque sunt, sed olim etiam plebi doctorum hominum fuerunt.“ Audacissimum videtur omnia, quaecunque communia sunt, cuiusvis hominis eruditi doctrinae tribuere, id quod Usener (l. l.) et Wilamowitz (Hermes XI, 300) fecerunt; neque enim quidquam maioris momenti tum superesse apparet, quod Dionysius aut Quintilianus ipsi procreaverint. Et si omnia nota pervulgataque erant, quid opus erat librum conscribere? Atque adeo fac omnia trita fuisse, etiamtum Quintilianus compositionem exemplorum iudiciorumque ex Dionysio haurire poterat. Sed Useneri sententiam ita probandam esse puto, ut singula quaedam communia plebi doctorum hominum fuisse facile largiar, sed omnia hoc modo e medio tolli posse minime concedam.

Jam si ad singula transeamus, quid causae est, qua ductus Usener negavit fieri posse, ut Quintilianus Dionysium secutus esset? Qua de re haec fere invenimus (p. 114):

1) In eis, quae Quintilianus aliter ac Dionysius instituit — ipsius enim verbis utor — nihil est, quin ex antiqua memoria repetitum sit;

2) atque omnis illa discrepantia non in minutiis cernitur, quibus tam facile aliquid addas quam demas, sed in ipsa re, in delectu, in dispositione.

Facile concedimus Quintilianum iis locis, quibus cum Dionysio non congruit, nihil afferre, quod non antiquitus traditum fuerit; qua re nihil demonstratum esse videtur nisi his ipsis locis, quibus dissentiunt illi auctores, Quintilianum Dionysio usum non esse, vel, id quod idem valet, alios fontes, qualescunque sunt, adiisse: in ceteris autem Quintilianum Dionysii librum non adhibuisse hoc argumento non comprobatur. Sequitur — id quod nemo infitias ibit — Quintilianum, si alias Dionysium in usum vocavit,

eo non unico fonte usum esse, immo vero aliis quoque inniti. Prima igitur causa, quam Usener affert magnaque doctrinae mole suffulcit, non tantum valet, ut cum eo consentire possimus omnino fieri non posse, ut Fabius ab Halicarnassensi pendeat.

Ut de altera causa ab Usenero oblata iudicare possimus, qualis sit illa, quam monet, discrepantia, videamus.

Vir ille doctissimus iure quodam contendit illa solum iudicia, quae de rerum scriptoribus ferantur, idonea esse, quae apud utrumque comparentur. Dionysii enim libri secundi *περὶ μιμήσεως*, qua illa iudicia, de quibus agimus, continebantur, epitome solum usque ad nos mansit, ipse periit: sed quae in hoc libro de rerum scriptoribus exposuerat, auctor ipse in epistula ad Pompeium data (cap. III—VI) inclusit (Usener l. l. p. 111) ita ut haec tria capita integra teneamus et cum iis, quae de eadem materia iudicia proponit Quintilianus, conferre possimus.

Sed cum longe maxima de parte Quintilianus et Dionysius uterque idem dicat, his potissimum non congruere videntur (Usener p. 112):

a) Timagenis recens memoria (apud Quintilianum) addita est.

b) Philistum (apud Qu.) non sequitur, sed antecedit Theopompus.

c) Xenophonti a Quintiliano locus inter philosophos assignatur.

d) Accedunt (apud Qu.) Ephorus et Clitarchus.

Timagenis recentem memoriam facile esse removendam et neque quidquam ad rem valere Usener concedit: neque enim dubium est, quin eius nomen facile ex fonte aliquo Romano haustum esse possit, cum Suida[1]) teste

1) Suidas s. v. *Τιμαγένης . . . καὶ ἐσωφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπί τε αὐτοῦ Πομπηΐου καὶ μετ᾽ αὐτόν, ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέπειτα ἅμα Καικιλίῳ.*

per longum tempus Romae versatus sit. Ceterum haud scio an Horati verba (epp. I, 19, 15):

„Rupit Jarbitam Timagenis aemula lingua,“

magni fuerint momenti.

Alterum quoque, Philistum non sequi, sed antecedere Theopompum, Usener rhetori largiri vult, quamquam dubitanter ille quidem: apud Dionem enim Prusaensem, quem vulgo Chrysostomum appellant, (orat. XVIII, 10) Theopompum *τῶν δευτέρων* esse legimus: at Philisti mentio a Dione non fit, ita ut non possim intellegere, quid hoc Dionis loco demonstretur. Nonne Philistus ipse quoque secundum Dionis sententiam aut eius fontem, quisquis est, in scriptoribus secundae classis numerari potuit, ita ut nihil intersit, uter prior nominetur?

Xenophonti a Dionysio inter rerum scriptores, a Quintiliano inter philosophos locus assignatur. Neque enim quisquam in dubium vocabit, quin Xenophon in utroque genere enumerari potuerit neque desunt vestigia Xenophontis inter philosophos et rerum scriptores relegati. Nam Dio Chrysostomus (18, 14) haec dicit: ‚*Τρέψομαι δ' ἤδη ἐπὶ τοὺς Σωκρατικούς. Ξενοφῶντα δ' ἔγωγε ἡγοῦμαι ἀνδρὶ πολιτικῷ καὶ μόνον τῶν παλαιῶν ἐξαρκεῖν δύνασθαι.*' Confer simili modo Critiam, Antisthenem, Xenophontem Socraticos a Dionysio commemorari, cum dicat (de Thucyd. hist. iud. 51): *Οὐδεὶς αὐτῶν κέχρηται ταύτῃ τῇ διαλέκτῳ, οὔθ' οἱ περὶ Ἀνδοκίδην καὶ Ἀντιφῶντα καὶ Λυσίαν ῥήτορες οὔθ' οἱ περὶ Κριτίαν καὶ Ἀντισθένη καὶ Ξενοφῶντα Σωκρατικοί*[1]). Eundem locum affert Usener, ut ne a Dionysio quidem alienum esse demonstret Xenophontem inter philosophos relegatum. Optimo iure, ut vidimus. Sed distinctis verbis Quintilianus dicit (X, 1, 75): „Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.“ Ergo si Quintilianus eo ipso loco,

---

1) Meier (Opuscul. academ. I, 119, n. 45) *Συκρατικόν*.

qui de rerum scriptoribus narrat, Xenophontem nomine addito eximit, quid potest esse veri similius quam in eo fonte, quem hoc loco praecipue sequitur, inter rerum scriptores de Xenophonte actum fuisse? Et cum talis fons Dionysius fuerit, non intellego, cur hac de causa Quintilianus a Dionysio non pendere dicatur. Sed cum suo iure Xenophon et inter philosophos et inter rerum seriptores possit nominari, Quintilianus contra fontis auctoritatem suae sententiae indulsit.

Unum restat argumentum, quod et ipsum refellere possumus: accedere apud Quintilianum Ephorum et Clitarchum, qui in Dionysii delectu desint. Qua de causa Dionysius in omnibus literarum generibus perlustrandis nullum aetatis Alexandrinae scriptorem receperit, nunc mittam, sed de ipsa re dubitari nequit. Ergo Clitarchum Dionysius recipere non poterat; sequitur eum ex eo alio quodam fonte hausisse Quintilianum; et quisnam is fons fuerit, Usener ipse demonstravit (l. l.), Cicero, quem in omnibus libris rhetor Latinus saepissime secutus est (cfr. epp. ad. fam. 2, 10, 3 et 'de legibus' 1, 2, 7). Ephorum propter contubernium Isocrateum additum esse Usener concedit et hanc scientiam ex Cicerone (de oratore II, 13, 57) manavisse ostendit. Si addidit praeceptor eloquentiae, quae ex Cicerone diligentissime perlecto meminerat, cui persuaderi poterit eundem non potuisse Dionysium in usum vocare?

Quae cum ita siut, mihi quidem non potest probari discrepantiam 'in ipsa re, in delectu, in dispositione' cerni; erravisse videtur vir egregius. Et cum maiora secum reputaret, quae mox depromeret, non tam firma quam par erat fundamenta iecit. Sed cum, ut ipse dicit, solidiora fundamenta quaereret, primum errorem non sustulit.

Deinde (p. 114—125) Usener summa ingenii acie et accuratissime priorem partem fragmentorum Hortensii Tulliani denuo congessit, disposuit, interpretatus est.

Multa autem colligere ex brevissimis fragmentis nimis incerta res est. Vir ille doctissimus nihil in his fragmentis inesse putat (p. 124), quin a Cicerone disputationi Aristotelicae praemitti potuerit; sed

1) facile esse ad intellegendum, quantum illius prioris partis consilium — literarum autem genera examinantur — a gravitate exhortationis Aristotelicae et severitate discrepet;

2) non literarum, sed artium ac literarum genera examinari et comparari cum philosophia oportuisse, si illam cohortationem Cicero concinna prolusione aptaque amplificari vellet.

Illa igitur prolusionis Tullianae et exhortationis discrepantia reputata necessario nos eo adduci, ut ex fontis a scriptore in usum vocati diversitate repetamus.

Non ita multo ante hoc opusculum editum idem vir doctissimus de eadem re hoc iudicium fecerat[1]: „Der in behaglichem Gespräch gehaltene erste Teil, worin über die verschiedenen Gebiete geistiger Bildung Revue gehalten wurde, setzte einen höheren Grad speziellen Wissens nicht voraus, und wenn etwas wie die Uebersicht der Tragiker nach Gelehrsamkeit schmecken konnte, so wurde dieser Eindruck durch eine dramatische Fiktion abgeschwächt (quare velim dari mihi indicem tragicorum, ut sumam, qui forte mihi desunt). Kurz man durfte für diesen Teil bei Cicero gerade so viel Bildung und Wissen annehmen, dass er ohne unmittelbare Vorlage eine gewandte und fesselnde Darstellung zu liefern im stande war.“ Quantum ad exhortationem ipsam, ex eis, quae Bywater[2] et Usener[3]) exposuerunt, non potest dubitari, quin Aristotelis protrepticus et Ciceronis Hortensius artissime cohaereant. Acce-

1) Rhein. Mus. 28, 395.

2) Journal of philology II, 55.

3) Rhein. Museum 28, 392 sq. sq.

dit, quod Diels[1]) demonstravit Aristotelem priore parte disputationis ad omnium indolem magis accommodata non respuere huiusmodi paene facetias: εἴτε φιλοσοφητέον, εἴτε μὴ φιλοσοφητέον, φιλοσοφητέον; veri simillimum esse Ciceronem, cum in Hortensio idem dictum traderet, hoc priore parte exhibuisse. „Es ist nach der ganzen Art ciceronischer Dispositionskunst wahrscheinlich, dass dieses scherzhaft gehaltene dialektische Geplänkel im ersten Teil des Dialogs vorkam, jedenfalls vor der eigentlichen oratio continua des Cicero, die den Kern des Protrepticus ausmacht." Quid de gravitate Aristotelica, quam desiderat Usener, tum cogitandum erit?

Cur porro artium et disciplinarum genera examinanda erant? Quod quamquam Plato fecit et Philippus Opuntius, non opus est Ciceroni et ipsi faciendum fuisse. Nonne satis est perstringere literarum studia, quorum pars quaedam philosophia est? Nihil obstare videtur, quominus in Hortensio inquisitum fuisse dicamus, quantum utilitatis cum omnium literarum studium tum maxime philosophiae ferat.

Sed hac de Hortensii Tulliani consilio quaestione missa facile Usenero concedimus (l. l. p. 125) Ciceroni catalogum quendam praesto fuisse tragicorum, ut antea diximus (p. 21). Judicia autem Ciceronis et quae cunque de scriptoribus tradit, non solum ex Hortensio, sed aliis quoque scriptis rhetoricis repetenda sunt. In Bruto conscribendo quibus fontibus M. Tullius usus sit, Naumann[2]) explicavit, sed de Romanis solum egit, et, quae ad temporum rationem pertinent, ad Atticum suo iure revocavit; sed quae Cicero prooemiandi causa de oratoribus Atticis tradidit unde fluxerint, inquirere omisit. Ciceronis iudicia (inprimis in Hortensio data), Usener (l. l. p. 125) quo fuissent breviora et pressiora, eo magis necesse esse ex censura poetarum

1) Archiv für Gesch. der Philosophie I, 486.

2) De Bruti Ciceronis fontibus, Halis Sax. 1883.

scriptorumque brevi, sed accurata excerpta esse putat: quod idem exemplum ac Dionysi fons fuisse non potest; nam Ciceronis iudicia multo pressiora sunt quam quae in Dionysii epitoma legimus; dubitari nequit, quin Dionysius ipse iudicia aliquatenus ampliora exhibuerit, id quod eis, quae de rerum scriptoribus manserunt, comprobatur. Attamen fontes a Cicerone et Dionysio in usum vocati non ita multum inter se discrepant, sed aliquo modo (per enchiridion grammaticum vel rhetoricum?) inter se cohaerent. Hartmann (l. l. p. 45) hoc communi Ciceronis et Dionysii fonte etiam de rerum scriptoribus, sophistis, rhetoribus actum fuisse dicit: ac rerum quidem scriptores in hoc compendio fuisse Susemihl[1]) negat, rhetores et sophistas secundum Ciceronis Brutum (8,30) concedit. Quod si quaerimus, quid de Dionysii Halicarnassensis fontibus statuere possimus, de hac re accuratam illam quidem et diligenter compositam dissertationem invenimus, quam G. Ammon[2]) publice iuris fecit. Priore huius libelli parte de artis rhetoricae praeceptis eorumque fontibus agitur: maxime nostra interest, quae sub finem huius partis Ammon ostendisse se iudicet, cum dicat (l. l. p. 75): „In eis locis, quibus cum Cornificio et Cicerone conspirat Halicarnassensis — et sunt permulti — latet praeter auctores, quos attuli — Theophrastum inprimis dico — fortasse etiam alius fons et ex Academia et ex Rhodiis et Atheniensibus doctoribus recentioris aetatis, quos saepius memorat Cicero, repetendus.“ Quod si communis praeceptorum rhetoricorum fons statuendus est, quid dubitamus confidere etiam in criticis disquisitionibus aliquatenus similem fontem in usum vocatum esse? Sed de omnibus scriptoribus, quorum vel ex proposito vel obiter Dionysius

1) Alexandr. Literatur II, 675.

2) De Dionysi Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontibus, Monachii 1889.

censuram agit (Ammon l. l. p. 80), Ammon quaestionem non solvit: via nondum munita est neque in universum quidquam statui potest. De oratoribus Atticis non multum novi apud Dionysium legi, quod non prioribus notum et probatum fuerit, testimoniis allatis Ammon demonstrat (l. l. p. 88, 95, 97, 102, 110). Sequitur paululum suspicionis moveri, si paene vacuam provinciam se esse sortitum Dionysius contendit (p. 450 R.). Quae de fontibus in usum vocatis ipse tradit (Callimachus et grammatici Pergameni excitantur, de Dinarcho cap. 1), nihil docent, propterea quod apud hos nihil aptum se invenisse contendit.

Quibus tribus auctoribus, Ciceroni, Dionysio, Quintiliano quartum Usener subiungit Dionem Chrysostomum, qui in duodevicesima oratione aliquot literarum genera celeberrimosque auctores perstrinxit. Cuius iudicia et dispositio saepius videntur cum Ciceronis conspirare, velut, si Dio discernit inter eos scriptores, qui minoribus natu commendandi sint, et eos, qui viris corroboratae aetatis proponenda esse videantur, hoc facile cum Ciceronis Hortensii fragmentis (VII—XI Usener) congruere potest. Sed universum si reputamus, et Ciceronem ipsum et eundem atque ille fontem atque adeo Quintilianum in usum vocavisse Dio videbitur. Neque enim ita pauca cum Quintiliano communia habet (Usener l. l. p. 127). At Ciceronem quidem Dionis aetate omnibus notum pervulgatumque fuisse nemo sane negabit, Quintiliani institutionis oratoriae libri duodecim anno 92 vel 94 p. Chr. n. editi esse videntur; Dio anno 96 ab imperatore Nerva ex exsilio revocatus tum quadraguita fere annos natus optime eis potuit uti, quae Quintilianus per longum studii et doctrinae spatium se intellexisse et assecutum esse professus erat publicique iuris fecerat. Sed non nescio his in universum disputatis non multum demonstratum esse: sed cum haec de Dione

quaestio non amplius tangat provinciam nostram, hoc longius persequi nolo. Satis enim videtur demonstrasse ab Usenero documenta satis magna, quibus demonstrari posset omnino fieri non posse, ut Quintilianus a Dionysis penderet, non esse allata; iam videamus, quid ex verbis horum scriptorum ipsis efficiatur.

III.

Quam mirus consensus Dionysii et Quintiliani sit, breviter demonstratur.

Cum omnia ad nostram quaestionem pertinentia, quae extrinsecus petenda erant, perlustraverimus, restat, ut ex comparatione Dionysii Halicarnassensis et Quintiliani ipsa, quae statui possint, inquiramus. In singulis iudiciis verbotenus consentire solent Dionysius et Quintilianus, id quod iam pridem homines docti perspexerunt. Ut alios, inprimis Stephanum, omittam, exempli gratia Ranke[1]) haec dicit: '. . . id si minus elucet ex eius libris excerptis (scil. Dionysium antiquae comoediae eiusque optimis auctoribus laude non detracta Menandro palmam concedere), quae sola a nescio quo homine profecta ex antiquitate accepimus: potest perspici ex Quintiliani institutione oratoria, qui Graeci rhetoris vestigiis tantum non ubique insistens eius de priscis scriptoribus iudicium ita videtur amplexus esse, ut vix semel illud relinqueret." Accuratissime quaestionem de fontibus Quintiliani in libro decimo conscribendo adhibitis tractavit Claussen, cuius „Quaestiones Quintilianeas"[2]) antea excitavimus (p. 23); deinde eandem quaestionem retractavit Casimir a Morawski[3]) in dissertatione quadam Berolinensi (p. 21); cui cum acciderit, ut multa,

1) In Vita Aristophanis Aristophanis Pluto a Thierschio 1831 edito praemissa p. 63.

2) Fleckeisen, Suppl. VI, 339 sq. sq.

3) Quaestiones Quintilianeae, Berol. 1884.

quae de hac re disputaturus erat, a Clausseno sibi praerepta videret et pauca addenda esse putaret, quid mirum, si non multum novi inde resultare videbitur?

Non licet neglegere Dionysium et Quintilianum eodem modo utrumque iudicia ea de causa proponere, ut iis, qui arti dicendi se daturi essent, praestantissima quaeque exempla proponerent. Nam si legimus in Dionysii epitoma, *ἐκτύπωσαι τὸ σύμπαν* (419 Reiske), *ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος* (420 R.), *Σιμωνίδου παρατήρει τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, ὅρα δὲ καὶ Στησίχορον, Ἀλκαίου σκόπει* etc. vix dubitari poterit, quin Dionysius illos scriptores nominaverit, ut ad eorum imitationem cohortaretur, qui illud opusculum lecturi essent. Ac Quintilianus ipse dicit in prooemio huius scriptorum Graecorum Romanorumque indicis (instit. orat. X, 1, 37): „Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoque adiungamus operi, qui sint legendi et quae in auctore quoque praecipua virtus.“ Maximo opere profecto mirandum esset, si ille artis oratoriae magister eius rhetoris Graeci celeberrimi nominis, qui haud ita longo ante ipsum spatio eadem in urbe eandem artem docuerat, scripta non inspexisset.

Ceterum tenendum est Quintilianum, cum saepissime Ciceronis verbis utatur (nomine non semper addito), non potuisse, quin hic illic memoriter excitaret; quae cum ita sint, minime ei vitio vertere possumus, quod loci non desint, quibus non tam accurate quam par erat, verba Quintiliari eius, quem secutus est, exemplum exprimere videantur; et quae de Cicerone diximus, de aliis quoque scriptoribus magis minusve dici posse consentaneum est. Qua in re nimis severus iudex esse videtur F. Meister[1]); Claussen[2]) ipse quoque dicit: „Sententia mea, ut semel dicam, Quintilianus non omnia, quae contulit, opera in singulis iudiciis

---

1) Quaestiones Quintilianeae I. Liegnitz 1860.

2) l. l. p. 343 adn.

evolvit, sed nonnullos locos memoria tenuit, adeo ut inscius interdum auctorum verba referret. Quod si ex auctore quodam, cuius vestigia singulis locis non inprimis premuntur, verba excitantur, ea memoriter descripta esse in propatulo est."

In toto opere conscribendo Quintilianum maximo opere Ciceronis vestigia secutum esse monuimus. Qua in re usque eo pervenit, ut quae minus recte intellexerat, in librum suum falso transferret. Quid quod fontem Graecum secutus Cicero tres oratorum aetates enumeravit, Quintilianus inde perperam conclusit una aetate decem simul Athenas oratores tulisse (instit orat. X, 1, 76)? Tria enim fuisse traduntur genera oratorum Graecorum, quae aetates interdum appellantur; et qui prima floruerunt, grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves (Cic. Brut. 29); de altera Cicero dicit (l. l. 36): sucus ille sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in quibus naturalis inesset, non fucatus nitor; qui tertium genus sequebantur, suaves maluerunt videri quam graves (cf. Cic. Brut. 38). Medio genere qui utebantur, oratores eloquentiae Atticae maxime florentis sunt: quae cum ita sint, Quintilianus oratorum genus hominumque aetatem confudit[1]).

Quibus expositis de singulis literarum generibus nonnulla addere iuvat. Quamquam Usener, ut supra commemoravimus[2]), illa solum iudicia, quae de rerum scriptoribus fiunt, idonea esse contendit, quae comparentur, tamen aliqua ex parte etiam ceteros auctores adumbrare licebit, qui ut ipsius Dionysii verbis amissis quae ratio inter Fabium Halicarnassensemque intercedat, non tam dilucide quam illi demonstrare videntur, qui subsunt, ita non neglegendi esse videntur. Plurima autem Claussen composuit, quae repetere supervacaneum est.

---

1) Confer etiam Hartmann l. l. p. 35 sq. sq.

2) p. 25 sq.

In primordio legimus Homeri, Hesiodi, Antimachi, Panyasidis laudes (instit. orat. X, 1, 46—54), eorundem quatuor, quos Dionysius tractat. Tum addit Quintilianus Apollonium, Aratum, Theocritum. Illis quatuor accurata iudicia adiecta sunt, his tribus sat exigua. Tum insequuntur poetarum epicorum nomina ipsa sine iudiciis altius repetitis: Pisandri, Nicandri, Euphorionis — Tyrtaei: mira sane compositio, quam hic legimus (§ 54—57).

Neminem negaturum esse confido hac enumeratione tres ordines esse distinguendos, quorum primus incipit ab Homero, alter ab Apollonio, tertius his verbis (§ 56): „Audire videor undique congerentes nomine plurimorum poetarum."

Morawski (l. l.) epicorum poetarum delectum in duas solum partes secernendum esse putavit, quarum altera illos priores quatuor, altera ceteros complecteretur: alteram e Dionysio mutuatam esse, alteram ex eo, quod poetis Romanis imitationi fuissent, pervulgatam fuisse. Sed contradicendum est Apollonium et Aratum non ita nominari, ut cum eis, quae antea in iudicium venerant, artissime cohaerere videantur; nam cum dicat: „Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit" perspici potest hoc loco significari, quos ante hunc nominasset, huius canonis membra fuisse. Alius cuiusdam fontis verba hoc altero loco, qui est de Arato, Theocrito, Apollonio, exscribere Quintilianum apparet, si legimus, quae de Theocrito iudicat (§ 55): „Admirabilis in suo genere Theocritus, sed musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam urbem reformidat."

Recte cum Morawski moneret (l. l.) Quintilianum eos collaudare poetas[1]), quos poetae Romani imitati erant, veri simillimum est Quintilianum, si ipse iudicasset, de Theocrito,

1) Confer quae de Nicandro iudicat (l. l. § 56): „Nicandrum frustra secuti Macer et Vergilius?"

quippe quem Vergilius secutus sit, dicturum fuisse haec fere: „Theocritum frustra secutus Vergilius?“

Maximi momenti est Quintilianum de prima et de altera poetarum serie, quos modo statuimus, iudicia ferre, sed minime de utraque iudicia eiusdem generis. Priora enim (quae sunt de Homero, Hesiodo, Antimacho, Panyaside) de genere dicendi ita agunt, ut vel austerum vel tenue vel medium genus ab unoquoque auctore excultum esse dicatur. In **Homerum** unum omnia genera confluxisse vel potius ex eo promanasse autumat; quod iudicium ne Dionysio quidem alienum a rhetore quodam primum latum esse perspicuum est[1]. Quae verba ex rhetoris cuiusdam libro repetita esse maxime eo comprobatur, quod exempla, quibus praestantia Homeri demonstratur, tria orationis genera perstringunt, quae a rhetoribus distingui solebant, genus laudativum, deliberativum, iudiciale. **Hesiodo** palma datur in illo medio genere dicendi (neque enim apud hunc inveniumtur epici carminis onera neque par est inveniri apud eum poetam, quem veteres Homero subiungere non dubitabant, extenuatae eloquentiae vestigia): rhetorem quendam iudicii auctorem fuisse apparet. **Antimachi** austera compositio ('vis et gravitas') a Dionysio quoque laudatur (de verborum compositione cap. 22), id quod recte monuit Claussen (l. l.); **Panyasis** *τὰς ἀμφοτέρων ἀρετὰς ἠνέγκατο* (Dionysi verba): ex utroque mixtum putant, ut

---

1) Dionys. de comp. verb. 24: *Κορυφὴ μὲν οὖν ἁπάντων καὶ σκοπός,*

Ἐξ οὗ δὴ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
καὶ πᾶσαι κρῆναι. (Il. Φ 196).

Ovid, am. 3, 9, 25: Adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

[Longin], *περὶ ὕψους* (ed Jahn p. 31, 8): *Οὐ γὰρ μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο· Στησίχορος ἔτι πρότερον . . . πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων, ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ ἐκείνου νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος.*

dicit Quintilianus. Sequitur Quintilianum iudiciorum de genere dicendi partem re vera ex iudiciis gregi hominum doctorum divulgatis recepisse, alteram maioremque e Dionysio verbotenus descripsisse.

Qui apud Quintilianum insequuntur, desunt apud Dionysium: de eorum arte dicendi non tam accurate, quam de eis, quos modo diximus, iudicatur, ita tamen, ut intellegamus Apollonium (qui aequali quadam mediocritate scripserit), medio generi esse adnumerandum, ut Aratum et Theocritum aliquid laude dignum habere non negetur, sed alterum motu carere, alterius rusticam musam urbem reformidare dicatur: fors rhetoricus deerat, ex quo iudicia rhetorica de Apollonio, Arato, Theocrito promeret; itaque quae diceret aliunde petiit.

Tertii ordinis, quem statuisse videor, poetae (§ 56): Pisander, Nicander, Euphorion, Tyrtaeus ea de causa plerique nominati sunt, quod eos poetae Romani solebant imitari. Quid in hoc numero sibi velint Pisander et Tyrtaeus, dubium esse potest. Ac Pisandri quidem nominis in mentem venisse videtur, cum Nicandri scriberet, et, quo loco Dionysium secutus erat, omissum esse meminerat. Sed vereor, ne nimis audax in coniciendo videar. Tyrtaeus autem maxime miro loco invenitur; quid poeta lyricus inter epicos ut Saulus inter prophetas? Sed non falli videor, si huius rec causam ex Quintiliani ipsius verbis me perspexisse dixerim. Nam cum dicat: „Quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiungit?“ meminerat artis poeticae versus 402:

„Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque maris animos in Martia bella
Versibus exacuit“,

et cum de Tyrtaeo ipse nihil aliud sciret, eum epicum poetam fuisse ratus, qui cum Homero posset componi, hoc loco postremum addidit.

Deinde licet commemorare Vergilium (§ 56) minus

recte dici magni habuisse Euphorionem; Gallus enim conditorem versu Chalcidico carminum apud Vergilium (ecl. IV, 50) praedicat: et est Gallus imitator Euphorionis. Ceterum miramur, quod Fabius hoc loco Ciceronem non adeo memoria tenuit quantum solet: quem scire debebat cum indignatione a. u. 709 cantores Euphorionis perstrinxisse. An Ciceroni se opponit Quintilianus non satis dissertis verbis, cum dicat: „Euphorionem transibimus? Quem nisi probasset Vergilius . . . ?“ Alios eum repudiare Quintilianum non ignorasse his verbis perspici posse arbitror. Eos, quos hoc postremo loco attulit, poetas ad oratoriae facultatis normam electos esse nemo contendere potest: ergo Quintilianum plane oblitum, quid omni hoc delectu appeteret, varia nomina variis de causis variis ex fontibus congessisse apparet. Quae cum ita sint, recte monuit Morawski (l. l.) Quintilianum, simulac Dionysii auctoritate destitutus esset, plane oblivisci, quonam consilio tota enumeratio instituta esset.

In fontibus praeter Dionysium adhibitis recte Claussen (l. l. p. 357) grammaticam quandam fuisse putavit. Qua arte grammatica contentum fuisse suspicor non solum, quae de poetis aetatis Alexandrinae, sed etiam, quae de canone Alexandrino ab Aristophane Byzantio et Aristarchi constituto Fabius prodit. Tum enim luculentissime perspici potest, qua de causa de praestantia oratoria illorum poetarum non distincte iudicatur neque praeter Theocritum, quem antea diximus, Aratus (quem laudat Ovidius am. 1, 15:

„Cum Sole et Luna semper Aratus erit“.

quem eundem Germanicum imitatum esse scimus) in tali honore habetur, qualis a scriptore Romano illius aetatis exspectandus erat. Quibus de epicis poetis commemorationibus peractis iam ad alia artis poeticae genera transeamus.

De elegia non multum est, quod dicamus: eius generis

poetae desunt apud Dionysium; ita Fabius ad Ciceronem rediit, id quod demonstrari potest comparatis quae dicit (§ 58): „Vacabit elegiam in manus sumere“ cum Hortensii Tulliani fragmento X* (Usener l. l. p. 120): „Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos.“ Qua in re re controversiam fuisse, cum alii lyricos ad conformandum oratorem multum valere existimarent, alii plane contemnerent, et ex Dione Chrysostomo perspici potest, cum (orat. XVIII, 8, p. 748 R.) dicat: „μέλη δὲ καὶ ἐλεγεῖα τῷ μὲν σχολὴν ἄγοντι πολλοῦ ἄξια“ [1]. Quae cum ita sint, ne apud Ciceronem quidem multum inveniri poterat neque quidquam Fabio reliqui erat, nisi ut eos laudaret, qui poetis Romanis exemplo fuerant et qui ab aliis (non a rhetoribus) laude tollebantur, Callimachum, cuius mentio ab Ovidio fit (am. 1, 15, 3):

„Battiades semper toto cantabitur ore,
Quamvis ingenio non valet, arte valet,“

et Philetam, de quo Propertius IV, 1, 1:

„Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
In vestrum quaeso me sinite ire nemus.“

Sed non fugit me Horatium (Epp. 2, 100) Mimnermum maioris facere quam Callimachum. Inde illud „habetur“ et „confessione plurimorum (§ 58, 59) profecta sunt. De Archilochi (§ 60) iudicium aliqua ex parte ad grammaticam illam, quam diximus, esse referendum videtur, cum canonis Alexandrini mentio fiat et de genere dicendi non tam dilucide disputetur, quantum a rhetore par erat. Ceterum conferendus est Horatius, qui (ep. ad Pis. 79) in Archilocho rabiem fuisse narrat (quod aliis verbis idem significare videtur ac Quintiliani: „plurimum sanguinis et nervorum“) et Velleius Paterculus, qui Archilochum Homero subiungit. Morawski (l. l.) notitiam indicii de

---

1) Sed haud scio an Dio haec verba e Quintiliano mutuatus sit.

Archilocho lati a satirae scriptoribus pervulgatam fuisse putat, quod ego quidem ita non negaverim, ut causis modo allatis ductus Quintilianum ipsum ex grammatica quadam quae dicit hausisse teneam.

Ne de lyricorum quidem, qui proprie dicuntur, iudiciis accuratius disputare in animo est. Ordine paululum immutato, qua re nulla paene discordia oritur, (Claussen p. 345) singulis poetis eaedem quae a Dionysio tribuuntur virtutes. Ac de Pindaro quidem iudicium in epitoma ex Dionysio excerpta quam brevissime contractum est, in summa autem re Fabius et Halicarnassensis verbotenus congruunt: id est in sententiarum figurarumque divitiis, rerum verborumque copia, eloquentiae flumine praedicandis: hoc iudicium originem rhetoricam prae se fert. Stesichori graves camenas laudat Horatius (carm. IV, 9, 9); pulcherrimum illud: „Stesichorum epici carminis onera lyra sustinuisse" unde fluxerit dicere non possum. Quod de Alcaeo dicitur, ex variis frustulis compilatum est; nam quae de arte dicendi et facultate oratoria dicuntur, cum Dionysio congruunt, deinde Horatium perstringit, cum verba (carm. II, 13, 26) tangit:

„et te sonantem plenius aureo.
Alcaee plectro" ect.,

ad postremum confugit ad Ciceronis disputationes Tusculanas, ubi (IV, 33. 71) hanc climaca non sine ingenii acie dictam invenimus, Alcaeum, Anacreonta, Ibycum, de puerorum amore scripsisse. Quod unde Cicero hauserit, in obscuro est; eadem fere traduntur a scholiasta ad Aristophanis Thesmophoriazusas (v. 161).

Simonides ab utroque eodem fere modo laudatur neque quidquam Quintilianus praebet, quod non ex Dionysio promanasse possit.

Poesis scaenicae principes deinde a Quintiliano collaudantur; ac primum quidem antiquae comoediae; 'quos poetas si quidem Dionysius attigit, obiter eum fecisse ex

eo colligo, quod Quintilianus nuda scriptorum posuit nomina' (Morawski l. l.); recte ille quidem, si cetera, quae diximus, ad id quod volumus demonstrandum suffecerunt. Deinde Aeschylus, Sophocles, Euripides, tragicorum principes, subsequuntur (§ 67), de quibus Quintilianus et Dionysius similia referunt; deinde ab utroque Sophocles et Euripides inter se comparantur; poetarumque agmen concludunt Menander et Philemon. De antiquae comoediae aetatibus, ut ita dicam, supra relatum est (p. 19 sq.); hoc loco verba videntur esse addenda Kaibeli[1]), qui de quaestione nostra haec dicit: „Wie bei Quintilian Menander und Euripides mehr zusammengerückt werden, so war es auch bei Dionys; das sieht man deutlich aus der Art, wie der nachlässige Epitomator von Euripides auf seine stilistischen Vorbilder, die Komiker übergeht, und dann dem Menander unter den Komikern einen besonderen Platz anweist. Ebenso stehen Menander und Euripides im Gegensatze zur *ἀρχαία κωμῳδία* und den *ἀρχαῖοι τραγῳδοί* bei Dio Chrysostomus 18, 6 und 7.

Ex tabellis a Clausseno compositis optime perspici potest, quam mirus in poetis percensendis utriusque consensus sit: ex paucis, quae addidimus, perspicuum fecisse videor Quintilianum inprimis Dionysio niti. Quo cum usus est, alios fontes circumspicit et quaecumque invenire potuerat, affert, sive apta, sive inepta sunt ad consilium quod se sequi antea confessus est. Jam transeundum est ad auctores librorum prosa oratione conscriptorum.

Quam parvi aestimandum sit discrimen, quod est in rerum scriptoribus enumerandis, supra enucleatum est (p. 25 sq. sq.): illo quidem loco id evincere studebamus, ut non tanti esse momenti differentiam ostenderemus, ut omnino fieri non posset Quintilianum Dionysium potissimum secutum esse. Nunc cum quaeratur,

---

1) Hermes 24, 59 sq. sq.

num re vera Fabius ex Dionysio hauserit, nostra interest, quibus ex fontibus et quo modo ii, quos Dionysius non habet, in institutionem oratoriam pervenerint. Idem quod in poetis perlustrandis perspeximus, hic quoque apparet: qui apud Dionysium desunt auctores, postremi enumerantur ceteris secundum fontis auctoritatem perlustratis. Simili ac de poetis modo de rerum scriptoribus ad postremum additis non tam accurata iudicia quam de prioribus feruntur. Ephorum Theopompo additum esse propter contubernium Isocrateum perspexerunt Usener[1]) et Claussen[2]). Eius contubernii fons fuit Cicero (Brutus 56, 204c... ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est ect."). De Clitarcho satis perspicue egit Claussen[2]), et Timagenes, quem Timaei Ciceroniani partes suscepisse Claussen ait, Romae notissimus erat, cum eo anno 55 venisset. Quae de celeberrimis illis rerum scriptoribus, Thucydide et Herodoto Quintilianus dicit, si non verbotenus ex Halicarnassensi profecta sunt, tamen mirum in modum consentiunt, velut Dion. ad Pomp. 3 p. 768 R.: *Ὅσῳ δὲ κρείττων ἡ τὰ θαυμαστὰ ἔργα δηλοῦσα Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων γραφὴ* (Herodoti) *τῆς τὰ οἰκτρὰ καὶ δεινὰ πάθη τῶν Ἑλλήνων διαγγελλούσης* (Thucydidis) ect, et Quint. X, 1, 73: „ille (Thucydides) concitatis, hic remissis affectibus melior." Etiam quae insequuntur, illum contione, hunc sermonibus, illum vi, hunc voluptate meliorem esse ex Dionysio repetita sunt, cuius rei documenta a Clausseno (l. l.) composita sunt.

De oratoribus, de quibus in epimetro agemus, non multum addendum est. Decadem oratorum Atticorum a Caecilio, ut videtur, compositam facile a Quintiliano posse commemorari per se apparet.

Sed numerus una res eaque sola videtur esse, quam Quintilianus in hac re a Caecilio mutuatus est: in ceteris

1) l. l. p. 114.
2) l. l. p. 349.

enim Dionysium eum secutum esse non possum non pro contestato habere; duo inprimis loci respiciendi sunt, alter epitomae ex libro secundo de imitatione excerptae, alter prooemii eius operis, quod inscribitur de oratoribus antiquis (cap. 4), ubi significat, quos ipse optimos censeat (*οὓς ἐγὼ ἡγοῦμαι κρατίστους*). Omnium, quos Dionysius laudat, oratorum apud Quintilianum unus deest L y c u r g u s. Quem qua de causa Fabius non recepit? Lycurgus apud Dionysium in illo numero duarum aetatum praestantissimorum oratorum[1]), quo Lysiam, Isocratem, Isaeum, et *τοὺς ἐπακμάσαντας τούτοις,* Demosthenem, Hyperidem, Aeschinem laudat, inveniri non potest.

Quantum Quintilianus in oratoribus percensendis Ciceroni debeat, alio contextu supra demonstratum est (p. 35).

Jam de p h i l o s o p h i s ad postremum dicendum est. P l a t o n e m, X e n o p h o n t e m, A r i s t o t e l e m uterque laudat. Accedit apud Quintilianum T h e o p h r a s t u s a Cicerone saepissime collaudatus.

Quibus breviter perlustratis nemo sane negabit tam mirum esse consensum inter Fabium et Halicarnassensum, ut nihil iam obstet, quin Quintilianum Dionysii vestigia pressisse dicamus. Quotienscunque Quintilianus ad novum auctorem vel novum auctorum genus transibat, Dionysium adibat; quo inspecto ex aliis fontibus hic illic notas quasdam mutuatus est.

1) Dionys., de oratoribus antiquis, cap. 4.

IV.

(Epimetrum).

De canone decem oratorum Atticorum.

Pervulgatum fuisse apud veteres canonem decem oratorum quis est quin sciat? Multis undique documentis decem oratores Atticos in numerum redactos fuisse comprobatur[1]). Neque minus dubium est, quin haec oratorum *δεκὰς* composita fuerit ex Demosthene, Lysia, Hyperide, Isocrate, Aeschine, Lycurgo, Isocrate, Antiphonte, Andocide, Dinarcho.

Non ita multo post Ruhnkeni mortem, qui omnes canones a grammaticis Alexandrinis repetenda esse censuerat[2]), Wyttenbach[3]) primus vidit Quintilianum, cum de crisi auctorum ab Aristophane et Aristarcho facta diceret, poetarum solum censum excitare; sed non amplius persecutus est, quae bene perspexerat. Quod deinde fecit F. Ranke[4]), qui ostendit omnino demonstrari non posse grammaticos Alexandrinos operam grammaticam et criticam in oratoribus collocasse. Eandem sententiam amplexus est, qui quantum ad grammaticos Alexandrinos rem acu tetigit,

1) Cfr. Meier, opuscula academica I, 120 sq. sq.; O. Kröhnert, Canonesne . . . . per antiquitatem fuerunt? Regimonti 1897, p. 34 sp.

2) Confer, quae diximus p. 6 sq.

3) In 'Vita Ruhnkeni' 1799, p. 286 sq.

4) In Aristophanis vita editioni Pluti Aristophanei Thierschianae praemissa, 1830, p. 112 sq.

Jul. Brzoska[1]), cum dicat: „Jam ut summum complectar, poetarum quidem critici erant Alexandrini, non erant oratorum; poetarum censum ut poetae poetarumque imitatores et debebant agere et agebant, oratorum vero Atticorum canonem, cum et dicendi artis minus studiosi essent nec Atticam eloquentiam imitatione exprimerent, nec cogitabant constituere nec constituebant.“ Contra Brzoskam studia rhetorica Alexandreae floruisse praefracte negantem exstitit P. Hartmann[2]) et grammaticos Alexandrinos multum in oratoribus tractandis versatos esse contendit; conatur demonstrare (l. l. p. 18) „multo magis valuisse (scil. etiam in oratoribus percensendis) apud homines posteriorum temporum auctoritatem Callimachi quam Pergamenorum“; sed omnes loci, quos affert, ad id quod vult demonstrandum nihil valent: omnes tangunt Callimachi pinaces et quaestionem, utrum in his iudicia addita fuerint necne, quid genuinum, quid spurium sit, quibus omnibus cum nostra quaestione nulla res est. Neque quidquam ex illo Dionysii Halicarnassensis loco, quo Hartmann sibi videtur demonstrare studia rhetorica Alexandreae eodem modo floruisse, quo Pergami vel multo magis, effici potest; nam videmus hoc loco (de Dinarcho cap 1) Dionysium Callimachum et Pergamenorum libros adire, ut aliquid inveniat de vita et genere Dinarchi, id quod ex verborum contextu dilucidissime apparet. Quaecunque autem de Dinarcho ex grammaticorum Alexandrinorum studiis hauriri poterant, Dionysius ex Demetrii Magnetis libro, qui inscribitur περὶ ὁμωνύμων sumpsit; nihil de indole dicendiqui genere invenit; ne de aliis quidem oratoribus plura ei praesto fuissent. Neque magis Hartmanno prosper est locus, quem affert (p. 18) Harpocrationis, qui sub verbo Ἰσαῖος tradit Hermippum Smyrnaeum, Callimachi discipulum duo (si non

1) De canone decem oratorum Atticorum quaestiones, Vratislaviae 1883, p. 15.

2) De canone decem oratorum, Gottingae 1891.

plures) libros de Isocratis discipulis conscripsisse. Qui libri nihil nisi vitas et scripta illorum oratorum continebant et videntur excerpti fuisse ex magno, quem Callimachus composuerat, catalogo bibliothecae Alexandrinae. Idem fere, quod Brzoska de studiis grammaticorum Alexandrinorum in oratoribus collocatis censet, Blass[1]) ipse quoque dicit his verbis: „Da die despotischen Höfe von Alexandria und Antiochia der Rhetorik keinen Platz gewährten“ . . . et similia affert Harnecker[2]), cum demonstret ex hereditate aetatis vere classicae philosophiam suscepisse Athenas, eloquentiam Pergamum, artem poeticam Alexandream. Ceterum addere iuvat etiam Usenerum[3]) decadi oratorum aliam atque Alexandrinam originem tribuere (Cfr. quae diximus p. 14).

Quibus disputatis evinxisse mihi videor fieri non posse, ut grammaticos Alexandrinos canonem decem oratorum composuisse suspicemur. Jam suboritur quaestio, quisnam huius canonis auctor fuerit.

Ac primum quidem monendum videtur canonem oratorum aut ab artis rhetoricae magistro quodam aut a grammatico quodam compositum esse; quae decas cum pervulgatissima fuerit, statim ab initio veri similius esse censeo rhetorem quendam primum fuisse, qui canonem composuerit. Neque enim facile quisquam assentiatur Kiesslingio[4]), qui haec fere censet: Magnum intercedere discrimen inter eos oratores 'quorum scripta scholarum rhetoricarum usu et tractatione, et eos, quorum scripta studiis grammaticorum, inter quos Alexandrini et aetate et doctrina fuerunt primi, propagata esse videntur.' Rhetores enim normam quasi quandam et delectum, de quo inter omnes eloquentiae

1) Geschiche der griechischen Beredsamkeit von Alexander bis Augustus 1865 p. 23.

2) Fleckeisens Jahrb. 129, 6 sq.

3) l. l. Epilogus; Jahrb. d. arch. Inst. VI, 93.

4) De Hyperide oratore Attico I, 1837 p. 133 sq.

magistros conveniret, non habuisse eosque exempla, ex quo quis vellet, proposuisse (velut Gorgiam minorem, Ciceronis filii magistrum), grammaticorum autem curam in eo esse versatam, ut dictionem sive elocutionem singulorum oratorum inter se et cum aliorum scriptorum elocutione contenderent. Postea autem „qui grammaticis visi essent notatu dignissimi, eis non potuisse non deferre palmam rhetores.“ Rem aliter se habere facile intellegimus. Nam cum de oratoribus solis agatur, respiciendum est, utrius magis interfuerit iusta de oratoribus iudicia fieri et propagari, rhetoris an grammatici; grammaticos autem inprimis in poetarum enarratione versatos esse vidimus; quem autem magis decuit de oratorum praestantia iudicare quam eos, qui rhetores se conformare profitebantur? Facile poterant grammatici normae cuidam a rhetoribus fixae de oratoribus postea assentire: quomodo rhetores, qui aliquid aliud sectantur et appetunt, qui ad elocutionis praestantiam et artem dicendi, vim gravitatemque censuram agunt, grammaticis magis doctis quam ad vitam publicam idoneis quique oratorum opera, si tractabant, ita tractarent, ut nostri „philologi“ scriptores interpretantur, se applicare potuerint, non facile intellegitur. Quae cum ita sint, vix dubitaverim, quin r h e t o r e s excellentissimum quemque arte rhetorica elegerint, de quo discipuli exemplum sumerent. Neve dixerit quisquam multos una homines grammatica excultos eosdemque rhetores fuisse; neque enim antequam eloquentiae studia Rhodi floruerunt, utriusque generis scientiam in uno homine fuisse demonstravit Marx [1]). Initia autem canonis oratorum ad priorem aetatem revocanda sunt, quamvis postea sit compositus.

Canonem decem oratorum a rhetore quodam compositum esse negat Ballheimer [2]), cum dicat: „Neque vero

---

1) Berlin. philol. Wochenschr. X, 1007.

2) De Photi vitis decem oratorum, Bonnae 1877 p. 33 adn.

cur a rhetore potissimum haec horum oratorum electio profecta esse debeat, videre me confiteor." Sed quibus de causis grammaticum quendam canonis auctorem suspicandum esse censeret, non dixit. Cui opitulatus est Usener, cum negaret rhetorem Andocidem et Dinarchum minime dignos, qui in optimis enumerarentur, recipere potuisse. Optimo iure adversatur Susemihl[1]) cum dicit: „Wenn ein Rhetor dies nicht konnte (scil. recipere Andocidem et Dinarchum), so konnte er sich auch nicht einem derartigen von einem noch so berühmten Grammatiker entworfenen unterordnen; denn wenn sich der Rhetor auch an die Vorarbeiten des Grammatikers anzuschliessen hatte, so war er doch in solchen Fragen demselben sicher nicht gleichwie einem Gesetzgeber zu schuldigem Gehorsam verbunden." Quae cum ita sint, in sententia prolata permanemus; sed ne vana sequi videamus et rem ratione ac via tractemus, quaestio movenda est, ubi oratorum decas primum excitetur; iam investigemus *ποῦ πρῶτον κεῖται*[2]).

Ac primum quidem disertis verbis canonem decem oratorum nuncupasse dicitur C a e c i l i u s C a l a c t i n u s; nam apud Suidam sub verbo *Καικίλιος* hunc rhetorem librum scripsisse legimus de charactere decem oratorum, *περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων*. Hunc libri titulum artissime cum canone cohaerere nemo negabit; sed Hampe[3]) et Ballheimer[4]) excitant Ammoni locum, quo s. v. *νῆος*[5]) hoc dicitur: *Δ ί δ υ μ ο ς ἐν δεκάτῳ ῥητορικῶν ὑπομνημάτων φησὶν οὕτως κτλ.* Ex his verbis Hampe concludit haec *ὑπομνήματα* idem opus esse ac disceptationes, quas grammaticus ille illustrissimus de singulis oratoribus, de Anti-

1) Alex. Liter. II, 696.

2) Hoc modo hanc quaestionem primus tractavit Meier, opusc. acad. I, 120 sq. sq.

3) Ueber den sogen. Kanon d. Alexandr. Jauer 1877 p. 16.

4) l. l. p. 38 ann.

5) Ammon. de diff. adfin. vocab. ed. Valkenaer, p. 98.

phonte, Isaeo, Demosthene, Hyperide, Aeschine scripsit. Neque enim traditum est hypomnemata rhetorica non plures quam decem fuisse et singulae fere orationes enumerari possunt, quarum commentarios Didymus scripsit: singulis libris singulae orationes enarratae fuerunt. Ὑπομνήματα autem alias res atque oratorum censuram continuisse videntur, id quod demonstratur accurata disceptatione de nomine νῆες instituta, qua quid haec vox significet, enucleatur. Talia ubi in opere de praestantia oratorum conscripto locum habere potuerint, non possum intellegere. Alio modo atque Hampe Ballheimer (l. l.) Didymum canonis auctorem esse demonstrare conatur. Didymum enim esse natum Cicerone et Antonio consulibus (= 63 a. Chr.); ideoque etiam Dionysio decem fere annis maiorem esse demonstravisse M. Schmidtium; quem enim a. 30—8 a. Chr. n. Romae rhetorica ut docuisse ita etiam scripsisse videri verisimillimum. Caecilium autem compluribus annis minorem esse Dionysio, ergo Didymo multo minorem. Tum autem Didymum canonem a Caecilio compositum non potuisse recipere. Optime ille quidem, si demonstravisset canonem Caecilii Didymo notum fuisse.

Sed iam mittamus hanc de Didymo disceptationem et circumspiciamus causas, quae prohibere dicuntur, ne Caecilium, a quo primum disertis verbis canonis oratorum mentio fit, auctorem huius decadis fuisse dicamus. Sunt autem hae:

1) Ille liber, quem Suidam excitare supra diximus, inscribitur: περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων, multique sunt offensi illo articulo „τῶν“ velut Hampe (l. l.), cum dicat p. 16: „Entweder musste Caecilius schon eine Schrift über die 10 Redner geschrieben haben, so dass er auf sie als die bekannte verweisen konnte oder es hatte vielmehr ein anderer Autor diese Verbindung von 10 Rednern hergestellt.“ Cum non intellegerem, quid Caecilium prohibiturum fuerit, ne ipsius inscriptionis verbis

se delectum quendam oratorum fecisse ostenderet, consentio cum Meiero (l. l. p. 126) se illo „*τῶν*“ non offendi profitenti. Quod si quis alium librum Caecilii de eadem re anteisse existimet, hoc demonstrari non potest neque potest refelli, cum desint documenta; sed hoc teneo hanc causam non sufficere ad negandum fieri posse, ut Caecilius auctor canonis sit.

2) Dionysio, aequali Caecilii, canon notus non fuit. Sed luce clarius est canonem scriptori cuidam notum non fuisse nullo alio modo posse demonstrari quam documentis ex silentio repetitis. Neque deerant, qui Caecilium maiorem natu conicerent quam Dionysium, id quod Wilamowitz [1] gravissimis verbis eumque secutus Müller [2] fecerunt. Quibus recte adversatur Weise [3]. Neque enim unquam Dionysius, si Caecilius ante eum libros edidisset, dicere potuit, quae p. 449 R. dicit se plane novam provinciam sortitum esse: *Ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ* (de vita, de elocutione oratorum et scriptorum, de quaestione, quid apud singulos esset imitandum, quid fugiendum) *πολλὴν ζήτησιν αὐτῶν ποιησάμενος.* Cetera quae afferri possunt, congessit Weise (l. l. p. 6—20). Ergo Caecilium minorem natu fuisse tenemus. Quod cum ita sit, quid magis consentaneum est quam Dionysium cum libros edere inciperet canonis mentionem non facere? nam si arbitramur canonem a Caecilio compositum esse, unde Dionysius, quod nondum factum erat, cognoscere potuerat? Postea autem Dionysius Caecilii scriptis paulatim divulgatis facile poterat commutare sententiam de singulis quibusdam rebus, de quibus antea aliter iudicaverat; hoc modo optime perspicitur, id quod Hartmann (l. l. p. 21) demon-

---

1) Hermes XII, 312.

2) De figuris quaestiones, Gryphisw. 1880, p. 6.

3) Quaestiones Caecilianae, Berol. 1888, p. 3—5.

stravit Dionysium aetate provecta aliter de Antiphonte iudicare atque antea fecerat[1]).

Nihil iam obstaret, quin Caecilium canonis auctorem duceremus, nisi Brzoska[2]), Reifferscheidtii magistri sententiae praeco, caninem decem oratorum Pergami circa annum 125 a. Chr. ortum esse contendisset. Qui primum demonstravit, doctrinae grammaticorum Alexandrinorum canonis compositionem non deberi, deinde Pergamenorum deberi demonstrare conatus est. Itaque Meiero[3]) impugnat dicenti nulla ante Caecilium inveniri canonis vestigia; sed licet eo, quod Panaetius canonem non novit, non multum demonstratum sit; licet andacius videatur ex Demetrii verbis apud Dionysium (de Din. iud.) cap. 1 excitatis: „*Δείναρχος εἷς ἐκ τῶν ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν*“ efficere, tum quidem decadem nondum fuisse; id quidem, quod Gorgias (cuius *σχήματα λέξεως* Rutilius Lupus in Latinum vertit), Ciceronis subaequalis, exempla ex oratoribus prompta nulla canonis ratione habita proponit, maximum documentum est, quo demonstratur hunc rhetorem canonem non novisse. Quod si Brzoska (p. 18) obvertit Gorgiae oratores prioris aetatis nihil profutuɹos fuisse, quod *ἀσχημάτιστοι* fuerint: ergo non demonstratum esse ei canonem omnino notum non fuisse; quaero, quis rhetor Graecus, qui canonem noverat, poterat omittere Isocratem omnium oratorum limatissimum perfectissimumque artificem? Quem *ἀσχηματωτον* fuisse ne Brzoska quidem contendet. Sane docentur a Gorgia dicendi formae quaedam, quae apud omnes canonis nostri oratores non inveniuntur; si autem Gorgiae aetate canon fuisset, nemo posset intellegere, cur tales res ad discendum propositae essent, quibus spectatissima eloquentiae

1) De ordine scriptorum Dionysii ad temporum rationem digesto confer quae Rössler, Dion. Halicam. script. rhet. fragm. p. 13 exposuit.

2) De canone decem oratorum Attic. quaest. Vratislav. 1883.

3) Opuscula Academic. I, 120 sq. sq.

exempla usa non erant. Ergo illis temporibus decas oratorum nondum fuit. Accedit, quod in illo Panaetii loco, quem Meier (l. l.) excitat, Demostheni locus princeps nondum datur, quem eum apud Ciceronem assecutum esse invenimus. Jam videmus pedetemptim omnium sententias Demostheni palmam deferre.

Quantum ad Ciceronem et Dionysium, quibus ipsis quoque canon, si fuisset, notus fuisse debebat, optime Weise exposuit, quomodo res se habeat (p. 25): ‚Ac ne quis nimiam me fidem habere arbitretur argumentis ex silentio Dionysii depromptis . . ., illud teneto: commoratum esse in eadem urbe, versatum in eisdem studiis Dionysium ac Caecilium, denique malevolae reticentiae nullam exstare suspicionem.“ Deinde p. 28—30 demonstratur fieri non posse, ut Cicero illos oratores noverit.

Quae cum ita sint, canon circa annum 125 a. Chr. n. Pergami ortus non est neque ad „δεκαπρώτων“ normam, ut voluit Brzoska. Attamen facile concedo scriptorum locos, quos Brzoska congessit, plurimum valere ad illustrandam eloquentiae eius aetatis historiam, et perspicuum est studiis in artem dicendi undique collatis paulatim viam munitam esse ad componendum canonem.

Cum decimus idemque minimus natu decem oratorum Dinarchus sit, post huius aetatem loco quodam electa esse debet decas, quo oratores Attici perfectissimae eloquentiae exemplaria existimabantur. Quod erat tum temporis, cum multis scholis diversa sequentibus veterum Atticorum verior aestimatio rediit. Supervacaneum videtur hoc loco disserere de Asiano genere dicendi magis magisque invalescenti, ita ut non deesset tempus, quo Alabandensem illum Meneclem eiusque fratrem Hieroclem tota imitaretur Asia[1]); ortum erat Athenis et revocandum est ad Demetrium Phalerea, excultum autem in Asia: verborum minutiae

---

1) Cicero, de orat 2, 95.

connexae erant cum maxima exiguitate phraseon, ita ut sermo et tumidus et sterilis simul evaderet. Adversus has ineptias orti sunt ii, qui se vere Attice scripturos esse profitebantur. Qui cum ab illis vitiis liberi esse vellent, facillime, cum operam darent, ut Charybdim evitarent, in Scyllam inciderunt: redierunt ad oratores Atticos non tam eius aetatis, quam florentis eloquentiae nominare consuevimus, sed ultra progressi sunt ad primam illam aetatem, qua Thucydides omnibus praelucebat. Accedit quod ne oratores quidem mediae illius florentissimae aetatis tam arte inter sese congruunt, ut qui pure vereque Attice scribere voluerit, unum vel alterum ex eis ad imitandum potuerit eligere et idem semper adeptus sit: sed magna varietas intercedit inter hos celeberrimos auctores. Quo factum est, ut alios alii imitarentur, in hac una re concordes, ut Hegesiae totiusque scholae Asianae praecepta et orationis artes respuerent. Cui oratori Attico summa tribuenda esset, per longum temporis spatium dubium erat; multos sane concedendum est Demosthenis principatum intellexisse[1]), ut Cleocharem Myrleensem, qui Isocratem et Demosthenem comparans Demosthenis orationes militum corporum similes esse, Isocratis athletarum iudicavit (Phot. bibl. 121b9), Menedemum (Cic. de or. 1, 88), Pammonem (Cic. orat. 105); sed Hyperidem imitabantur eximie rhetores Rhodii Artamenes, Aristocles, Philagrius, Molon (Dion. de Din. cap. 8), alii Lysiam (Cic. Brut. 64), alii Thucydidem, alii Platonem philosophum. De quibus omnibus Dionysius Halicarnassensis egit et nobiscum communicavit, quas inprimis virtutes laudantes alii alios sectati sint. Dionysius primus ausus est post Ciceronem grammaticosque Pergamenos, quorumcunque tum ei in mentem venerat, virtutes disceptare et vitia detegere, ita ut duplici ratione conflictatus sit, et cum eis, qui pure Attice scribere

1) Cfr. Blass, l. l. 99.

cupientes quam maxime inter se dissentiebant, et cum iis, qui ab Asiano genere dicendi stabant. Quae cum ita sint, ausim contendere Dionysium esse eum, qui iudicii gravitate rem eo perduxit, ut canonis componendi copia fieret. Eius vestigia secutus est Caecilius Calactinus neque quisquam tum Romae erat, cui praeter eum tantum praestitisse tribuere possemus. Dionysius Platonem, Thucydidem, alios respuit et quibus de causis hoc iudicium ferret, proposuit, Dinarchum, qui non inter omnes, quanti per erat, aestimabatur, recepit. Certamine iam per multos annos fluctuante Romae, quo paulatim omnes rhetores celeberrimi nominis se conferebant, verisimillimum est. Dionysius suppeditat copiam intellegendi causam generis Asiani exturbati et in paucas urbes Asianas repulsi: haec causa erat *ἡ πάντων κρατοῦσα Ῥώμη πρὸς ἑαυτὴν ἀναγκάζουσα τὰς ὅλας πόλεις ἀποβλέπειν* (de oratoribus antiquis 2).

Quibus omnibus perlustratis id mihi non iam dubium esse videtur, quin canon decem oratorum paucis a. Chr. n. annis Romae ortus sit neque audacius mihi videor iudicare, si Caecilio originem ascripserim. Una adhuc suboritur quaestio, num omnes ii oratores, quos in numerum decadis receptos esse scimus, tum digni visi esse putandi sint, qui sincera eloquentiae exemplaria artem dicendi discentibus proponerentur. Neque deerant, qui modo hunc, modo illum in canonem a Caecilio compositum recipi potuisse nullo modo concederent. Ac Brzoska quidem (l. l. p. 26) praefracte negat Andocidem et Antiphontem tali honore dignos visos esse Caeciliumque, si canonem composuisset, repudiaturum fuisse. Quid quod traditum est Antiphontem a Caecilio summa laude esse cumulatum? Apud Photium enim scriptum legimus (bibl. 485 b 15 sq. sq.): „*Ὁ μέντοι Σικελιώτης Καικίλιος μή φησι κεχρῆσθαι τὸν ῥήτορα* (Antiphontem) *τοῖς κατὰ διάνοιαν σχήμασι, ἀλλὰ κατευθὺ αὐτῷ καὶ ἀπλάστως τὰς νοήσεις ἐκφέρεσθαι, τροπὴν δὲ τοῦ πανούργου καὶ ἐνάλλαξιν οὔτε ζητῆσαι τὸν ἄνδρα*

οὔτε χρήσασθαι, ἀλλὰ δι αὐτῶν δὴ τῶν νοημάτων καὶ τῆς φυσικῆς αὐτῶν ἀκολουθίας ἄγειν τὸν ἀκροατὴν πρὸς τὸ βούλευμα.“ Accedit, quod familiarissimum fuisse Caecilium cum Dionysio aequali maiore natu fuisse comperimus ex epistula ad Pomp. p. 777 R. (*ἐμοὶ μέντοι καὶ τῷ φιλτάτῳ Καικιλίῳ δοκεῖ κτλ*), et cum antea viderimus Dionysium, quod de Antiphonte iudicaverat, commutasse posterioribus libris, hoc Caecilio auctore factum esse verisimillimum est, quamquam canon ipse nondum in publicum editus erat: sed Caecilius eo pervenerat studiis in oratoribus Atticis collocatis, ut persuadere potuerit Dionysio eum de Antiphonte perperam iudicasse. Unus superest, quem addubitavere: Andocides. Quem Dionysius (de Thucyd.) una cum Antiphonte et Lysia laudat; quorum utrumque in canonem receptos esse neminem fugit: ergo, si Dionysius canonem composuisset, cum recepisset; quid mirum, si Caecilius eum secutus hunc quoque oratorem in numerum redegit?

Jam cum ad finem huius disceptationis pervenerimus — neque enim quaestionem tango, num Caecilius vir tanti momenti fuerit, ut eius auctoritatem alii sequi potuerint —, quaerendum est, quibus de causis singuli oratores recepti esse putandi sint. Fateor me dissertatiunculae Meieri (l. l. 120 sq. sq.) me applicare; et cum multa abunde iudicia afferri possint, id mihi probabilissimum videtur electos esse et eos, qui *δικανικοὺς* et qui *συμβουλευτικοὺς ἀπελελοίπεσαν λόγους*. Qua de causa Demades receptus non est; nam [1]) „er selbst hatte es verschmäht, seine Autoschediasmen — denn solche waren seine Reden fast immer — aufzuzeichnen, vielleicht aus Lässigkeit, vielleicht auch weil er wusste, wie sehr solche Stegreifleistungen durch Niederschreiben zu verlieren pflegen.“

Recepti sunt ii, qui unumquodque artis dicendi genus primi adhibuerunt et qui idem ad summum florem perduxerunt,

1) Diels, Rhein. Mus. 29.

Lysias-Hyperides (quorum *χάρις* a Demetrio Magnete laudatur),

Isocrates-Aeschines; Isaeus-Demosthenes.

Lysiae, Isocrati, Isaeo a Dionysio tribuitur novum genus invenisse, cum dicat: (De Dinarcho cap. 1): *Περὶ Δεινάρχου τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εὕρηκα'ς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσι διὰ τὶ μήτε εὑρετὴν ἴδιον γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα, ὥςπερ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον μήτε εὑρημένων ἑτέροις τελειωτὴν ὥσπερ τὸν Δημοσθένην καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν.*

Dinarchus in numerum receptus est, quod Dionysius nomen eius oblivioni eripuerat, cum pergat (l. 1): *ὁρῶν δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητι λόγων καὶ ἀπολελοιπότα δημοσίους τε καὶ ἰδίους λόγους οὔτε ὀλίγους οὔτε εὐκαταφρονήτους, ἡγησάμην δεῖν μὴ παραλιπεῖν αὐτόν.* — Antiphon primus scriptas orationes edidit, Andocides naturale genus maximo opere coluit, Lycurgum recte Meier receptum dicit, quamquam idem quod Demosthenes dicendi genus secutus est, propter praecipuam et propriam acrimoniam et acerbitatem, cuius *δεινώσεις* maxime imitandae videbantur.

Index librorum.

A.

Morawki, Quaestiones Quintilianeae, Berol. 1874.

Teichert, De fontibus Quintiliani rhetoricis, Regimonti 1884.

Babucke, De Quintiliani doctrina et studiis, Reg. 1866.

Törnebladh, De elocutione Quintiliand, Upsalae 1858.

Steffen, De canone qui dicitur Alexandrino, Lipsiae 1876.

Hartmann, De canone decem oratorum, Göttingen 1891.

Did. Volkmann, De Suidae biographicis, Bonnae 1861.

Hampe, Ueber den sog. Kanon der Alexandriner, Jauer 1877.

O. Kröhnert, Canonesne poetarum, scriptorum, artificum per antiquitatem fuerunt? Regim. 1897.

J. Brzoska, De canone decem oratorum Atticorum quaestiones, Vratisl. 1883.

Matter, Essay historique sur l'école d' Alexandrie, 1820. 2 tomi.

Parthey, Das alexandrin. Museum, Berl. 1838.

Klippel, Ueber das alexandr. Museum, Gött. 1838.

Naeke, De Choerilo Samio 1817.

Naumann, De Bruti Ciceronis fontibus, Halis 1883.

G. Ammon, De Dionys. Halic. libror. rhetor. fontibus, Monachii 1889.

Meister, Quaestiones Quintilianeae, Liegnitz 1860.

Kiessling, De Hyperide oratore Attico 1837.

Ballheimer, De Photi vitis decem oratorum, Bonnae 1877.

Müller, De figuris quaestiones, Gryphisw. 1880.

Weise, Quaestiones Caecilianae, Berol. 1888.

Rössler, Dion. Halic. scriptor. rhetor. fragm., Lipsiae 1873.

B.

Dionysii Halicarnassensis librorum de imitatione reliquiae, ed. Herm. Usener, Bonnae 1889.

Aristophanis Plutos, ed. Thiersch, Lips. 1830 (inest: F. Ranke, De Aristophanis vita).

Rutilius Lupus, ed. Frotscher Lips. 1831 (1841) (Inest: D. Ruhnken, Historia critica oratorum Graecorum).

Schneider, Callimachea, Lips. 1870. II tomi.

Aristophanis Byzantii fragmenta, ed. Nauck, Halis S. 1848.

Scriptores metrici Graeci I, ed. Westphal Lips. 1886.

Callimachi Cydippa, ed. Dilthey. 1863.

Scholia in Aristophan. Graeca, ed. Dubner, III.

Grammatici Latini ed. Keil I.

Ammonius, De diff. adf. verb. ed. Valckenaer.

C.

Th. Bergk, Gesch. der Griech. Literatur. I Berl. 1872.

Bernhardy, Griech. Literaturgesch. 1876.

Susemihl, Gesch. der Griech. Literatur in der Alexandrinerzeit. 2 Bd. Leipzig 1891.

Wyttenbach, Vita Ruhnkeni 1799.

Blass, Gesch. der griech. Beredsamkeit von Alexander bis Augustus, 1865.

Wilamowitz, Bacchylides. Berl. 1898.

Meier, opuscula academica I.

D.

Ritschl, opuscula I.

Fleckeisens Jahrbücher 129; Suppl. VI.

Hermes XI; XII; XXIV.

Rhein. Museum XXVIII.

Berliner philol. Wochenschrift X.

Archiv für Geschichte d. Philosophie I.

Philologus XVI.

Jahrb. des d. archaeol. Instituts VI.

Journal of philology II.

Index rerum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Heydenreich Wirzeburgi a. d. VIII. id. Febr. anni MDCCCLXXV patre Eugenio, militum medico, matre Augusta e stirpe Kleinschroth, quam adhuc vivere mihi summo est gaudio. Fidem profiteor evangelicam.

Cum pater belli Francogallici laboribus confectus praematuram mortem obiisset (Reginis Castris 1876), mater Onoldum, in urbem patriam, rediit, ibique literarum elementis imbutus autumno anni 1884 eiusdem urbis gymnasium regium adii, quod rectore Bernardo Dombart floret. Maturitatis testimonium adeptus (1893) primum Monachium me contuli, ut literarum Graecarum et Romanarum studiis me darem, deinde per quinque semenstria Berolini humanitatis studia colere perrexi.

Atque docuere me viri illustrissimi E. Curtius, Diels, Delbrück, Dieterici, Dilthey, Frey, Hirschfeld, Kekulé, Kern, Kirchhoff, Udalr. Köhler, Kretschmer, Kübler, Rödiger, Schrader, Treitschcke, Vahlen', Wattenbach, Weinhold, de Wilamowitz-Möllendorff Berolinenses; Christ, Breymann, Furtwängler, Hartmann, Heigel, Hommel, Mayer-Deisinger, Muncker, Iwanus Müller, Oberhummer, Paul, Riggauer, Weymann, Wölfflin Monacensenses; Richter, Schneider, Sievers, Studniczka, Wundt Lipsienses. Cum variis praeterea exercitationibus seminariisque interesse licuerit, omnes hos viros doctissimos semper pia grataque prosequar memoria.

Denique lubens semper recordabor sodalicii philologorum academici et Berolinensis et Monacensis, in quo dulce carorum amicorum commercium per quinque annos mihi contigit.

Duobus examinis pro facultate docendi partibus superatis seminario illi traditus sum, cui Dietsch, gymnasii Erlangensis rector, et Dr. Schöner, eius gymnasii professor, praesunt.